C A R P A N I

INSTITVTIONVM CANONICARVM SVMMARIA EXPLANATIO.

CARPANI

INSTITVTIONVM CANONICARVM SVMMARIA EXPLANATIO.

C A R P A N I

INSTITVTIONVM CANONICARVM

SVMMARIA EXPLANATIO.

Digitized by Google

C A R P A N I

INSTITVTIONVM CANONICARVM SVMMARIA EXPLANATIO.

Digitized by Google

339

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI BREVIARIVM

A IOSEPHO CARPANO ROMANO I. V. D.

Sedis Apoſtolicæ Protonotario,

Et in Romana Vniuerſitate

Primario Iuris Ciuilis Profeſſore Emerito

In Gratiam Romanæ Iuuentutis elucubratum

Eidemque pariter directum

Anno Chriſtiano 1691.

ADDITIS FASTIS LEGALIBVS ROMANÆ ACADEMIÆ INTRECCIATORVM.



R O M AE;

Typis, Franciſci de Lazaris, filij Ignatij. M.DC.XCII.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX TITVLORVM,

Qui in Quatuor libris Inſtitutionum Iuris Canonici continentur.

Primus numerus eſt Titulorum. Secundus eſt paginarum.

Præmiſſa ad totum opus. *pag.* 1

TITVLI LIBRI PRIMI

De Iure Canonico Tit. 1. *pag.* 4
De Iure Diuino, Conſuetudine, & Conſtitutionibus. 2. 5
De Eccleſiaſticis Conſtitutionibus. 3. 7
De Iure Perſonarum. 4. 10
De Epiſcopis, & Summo Pontifice. 5. 12
De Electione. 6. 15
Qui eligere, eligiuè poſſunt. 7. 22
De Poſtulatione. 8. 27
De Confirmatione Electionis. 9. 29
De Conſecratione. 10. 33
De Receptione, & Auctoritate Pallij. 11. 35
De Vita, & honeſtate Prelatorum. 12. 36
De Officio Archidiaconi. 13. 37
De Officio Archipresbyteri. 14. 38
De Officio Vicarij. 15. 39
De Coadiutore. 16. 41
De Corepiſcoporum vſu ſublato. 17. 42
De Tranſlatione. 18. *ibid.*
De Renunciatione. 19. 45

De

De Depoſitione, ſeu degradatione. 20. 50
De Sacerdotibus in inferiori gradu conſtitutis. 21. 51
De ijs, qui in ſacris ſunt conſtituti. 22. 52
De ijs, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti. 23 54
Communia tam maiorum, quàm minorum Ordinum. 24. 55
Qui promoueri non poſſunt. 25. 59
De Præbendis, & alijs Beneficijs. 26. 68
De Collationibus. 27. 71
De Inſtitutionibus, & Iure patronatus. 28. 84
De Clericis non reſidentibus. 29. 94
De Regularibus, & Monachis. 30. 96

TITVLI LIBRI SECVNDI

De Rerum diuiſione, atque illarum adminiſtratione Tit. 1. pag. 105
De Sacramentis. 2. 106
De Baptiſmo, & eius effectu. 3. 108
De Sacramento Chriſmatis. 4. 113
De Pænitentijs, & remiſſionibus. 5. 114
De Euchariſtia. 6. 118
De extrema Vnctione. 7. 120
De Sacramento Ordinis. 8. ibid.
De Sacramento Matrimonij. 9. 121
De Sponſalibus. 10. 122
De Nuptijs. 11. 128
Quæ matrimonium impedire poſſunt. 12. 130
De triplici Cognatione. 13. 134
De clandeſtina deſponſatione. 14. 137
Qui matrimonium accuſare poſſunt, & contra illud teſtificari. 15. 138
De Diuortijs. 16. 139
De Rebus Sacris, Sanctis, & religioſis. 17. 144
De conſtruendis, conſecrandis, & reparandis Eccleſijs, & Altaribus. 18. ibid.

De

De Vnionibus Eccleſiarum. 19. 147
De Immunitate Eccleſiarum, & Subiectione. 20. 148
De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus. 21. 151
De Cappellis Monachorum. 22. 152
De Religioſis Domibus. 23. 153
De Sepulturis. 24. 154
De Canonica portione. 25. 156
De Decimis. 26. 158
De Rebus Eccleſia alienandis, vel non. 27. 161
De Peculio Clericorum, relictis, & ſucceſſionibus eorum. 28. 163

TITVLI LIBRI TERTII

De Iudicijs, & illorum diuiſione Tit. 1. *pag.* 165
De Procuratoribus. 2. 172
De Pactis, & tranſactionibus. 3. 175
De Arbitris. 4. *ibidem*
De in ius vocando. 5. 177
De Dolo, & contumacia, & in poſſeſſionem miſſione. 6. 178
De Libelli conceptione, & oblatione. 7. 180
De Exceptionibus, & Replicationibus. 8. 181
De Mutuis petitionibus. 9. 182
De Reſtitutione Spoliatorum. 10. 184
De Litis conteſtatione. 11. 186
De Iuramento calumnia. 12. 188
Vt Lite pendente nihil innouetur. 13. *ibidem*
De Probationibus. 14. 189
De Sententijs, & re iudicata. 15. 195
De Executione rei iudicata. 16. 198
De Appellationibus. 17. *ibidem*
De Reſtitutione in integrum 18. 204

TI-

De Depoſitione, ſeu degradatione. 20. 50
De Sacerdotibus in inferiori gradu conſtitutis. 21. 51
De ijs, qui in ſacris ſunt conſtituti. 22. 52
De ijs, qui in minoribus Ordinibus ſunt conſtituti. 23 54
Communia tam maiorum, quàm minorum Ordinum. 24. 55
Qui promoueri non poſſunt. 25. 59
De Præbendis, & alijs Beneficijs. 26. 68
De Collationibus. 27. 71
De Inſtitutionibus, & Iure patronatus. 28. 84
De Clericis non reſidentibus. 29. 94
De Regularibus, & Monachis. 30. 96

TITVLI LIBRI SECVNDI

De Rerum diuiſione, atque illarum adminiſtratione Tit. 1. *pag.* 105
De Sacramentis. 2. 106
De Baptiſmo, & eius effectu. 3. 108
De Sacramento Chriſmatis. 4. 113
De Pœnitentijs, & remiſſionibus. 5. 114
De Euchariſtia. 6. 118
De extrema Vnctione. 7. 120
De Sacramento Ordinis. 8. *ibid.*
De Sacramento Matrimonij. 9. 121
De Sponſalibus. 10. 122
De Nuptijs. 11. 128
Quæ matrimonium impedire poſſunt. 12. 130
De triplici Cognatione. 13. 134
De clandeſtina deſponſatione. 14. 137
Qui matrimonium accuſare poſſunt, & contra illud teſtificari. 15. 138
De Diuortijs. 16. 139
De Rebus Sacris, Sanctis, & religioſis. 17. 144
De conſtruendis, conſecrandis, & reparandis Eccleſijs, & Altaribus. 18. *ibid.*

De

De Vnionibus Eccleſiarum. 19. 147
De Immunitate Eccleſiarum, & Subiectione. 20. 143
De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus. 21. 151
De Cappellis Monachorum. 22. 152
De Religioſis Domibus. 23. 153
De Sepulturis. 24. 154
De Canonica portione. 25. 156
De Decimis. 26. 158
De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non. 27. 161
De Peculio Clericorum, relictis, & ſucceſſionibus eorum. 28. 163

TITVLI LIBRI TERTII

De Iudicijs, & illorum diuiſione Tit. 1. *pag.* 165
De Procuratoribus. 2. 172
De Pactis, & tranſactionibus. 3. 175
De Arbitris. 4. *ibidem*
De in ius vocando. 5. 177
De Dolo, & contumacia, & in poſſeſſionem miſſione. 6. 178
De Libelli conceptione, & oblatione. 7. 180
De Exceptionibus, & Replicationibus. 8. 181
De Mutuis petitionibus. 9. 182
De Reſtitutione Spoliatorum. 10. 184
De Litis conteſtatione. 11. 186
De Iuramento calumniæ. 12. 188
Vt Lite pendente nihil innouetur. 13. *ibidem*
De Probationibus. 14. 189
De Sententijs, & re iudicata. 15. 195
De Executione rei iudicatæ. 16. 198
De Appellationibus. 17. *ibidem*
De Reſtitutione in integrum 18. 204

A

TITVLI LIBRI QVARTI

De Accuſationibus, Denunciationibus, & Inquiſitionibus. Tit. 1. *pag.* 206
De duplici purgatione. 2. 207
De Simonia. 3. *ibidem*
De Hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis. 4. 210
De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis. 5. 213
De Furtis. 6. 215
De Vſuris. 7. 216
De Adulterijs, & alijs illicitis coniunctionibus. 8. 218
De Crimine falſi. 9. 219
De Homicidio. 10. 220
De Iniurijs, & damno dato. 11. 222
De Eccleſiaſticis cenſuris. 12. 223
De Sententia excommunicationis. 13. 224
De Eccleſiaſtico Interdicto. 14 234
De Suſpenſione. 15. 237

pag.	lin.	Errata	Corrige.
5	21	*de totam.*	*de teſtam.*
25	2	*Vinctonienſis*	*Vintonenſis*
59	4	illos	illas
67	2	marſupuio	marſupio
116	31	detraditur	detruditur
139	36	velin	velint
145	28	veli	vel
164	18	beneficijs	beneficij
177	15	non afficiat	non afficit
	38	demiſſa	dimiſſa
190	33	ad notato	ad notata
204	39	*de integr.*	*de in integr.*
212	8	bona ſuo	bona ſua
216	20	loquemur	loquimur
223	1	paſſus es	paſſus eſt
233	9	& iiet	& iter

Cetera leuiora humanitas legentis excuſabit.

AD

A 2 342

AD INSTITVTIONES IVRIS CANONICI

PRAEMISSAE.

CORpus Iuris Canonici, ex quo hæ Inſtitutiones ſunt collectæ, diuiditur in tres partes, ſeù in tria Volumina partialia, Quorum primum dicitur Decretum. Secundum dicitur Decretale. Tertium dicitur Sextus Decretalium.

Decretum fuit prima vice compilatum ab Iuone Epiſcopo Carnotenſi in vndecimo ſeculo poſt Chriſtum natum; vnde fuit dictum Decretum Iuonis. Deinde in ſeq. ſeculo Gratianus Monachus Benedictinus aliud Decretum pinguius, & perfectius compoſuit, diuidendo illud in diſtinctiones, cauſas, & quæſtiones; in quo ſunt poſitæ auctoritates Sac. Scripturæ, canones Sac. Conciliorum, dicta Sanctorum Patrum, Conſtitutiones Summ. Pontificum, & etiam nonnullæ Imperiales, cui volumini quidam Doctor nomine Palea, adiecit nonnulla capita, quæ inſcribuntur Palea. Et hoc eſt Decretum, quo hodie vtimur, appellaturque Decretum Gratiani, quod non habebat auctoritatem Iuris, quamuis in ſcholis reciperetur, donec Gregorius Decimuſtertius ipſum diligenter reuiſum, & emendatum approbauit, ita vt hodie poſſit allegari ad deciſionem cauſarum.

Hoc Volumen Decretorum diuiditur in tres partes.

Prima conſtat ex centum, & vna diſtinctionibus, continentibus Sacros canones. Canon autem ſcribitur *can.* & citatur per prima verba canonis, addendo numerum diſtinctionis v. g. *can. Lectores diſt.* 32.

In ſecunda parte ponuntur triginta ſex cauſæ, quæ continent quæſtiones, & canones. In cauſa autem 33. quæſt. 3. per totam ſunt poſitæ ſeptem diſtinctiones continentes canones totius materiæ de pœnitentia; & citantur v. g. *can. principium enim, de pœnit. diſt.* 2. In reliquis cauſis citatur v.g. *can. ſicut excellentiam* 23. *quæſt.* 4. ideſt *cauſa* 23. relinquitur enim dictio, *cauſa*, & ſolus numerus cauſæ allegatur.

Demum tertia pars Decreti continet quinque diſtinctiones circa

materiam de Conſecratione, diuiſas in Canones, & citantur v. g. *can. nullus Presbyterorum de Conſecr. diſt.* 5. Cui integro Volumini Decretorum nonnulli docti, & pij Auctores gloſſas addiderunt.

Secundum Volumen, quod eſt Decretalium, fuit conflatum a Gregorio Nono, opera Fr. Raymundi de Peniafort Ord. Prædicat. Cappellani, & Pœnitentiarij ipſius, poſtmodum in numerum Sanctorum relati, qui varias conſtitutiones, & decretales epiſtolas Pontificum Prædeceſſorum Gregorij in vnum collegit, cui nonnullæ etiam epiſtolæ Decretales, & conſtitutiones ipſius Gregorij inſertæ fuerunt. Hoc autem volumen eſt diuiſum in quinque libros, continentes titulos, & capitula. Capitulum autem ſcribitur *c.* & citatur per prima verba capituli addendo titulum v. g. *c. quamuis ſit graue, de decim.* Et in hoc volumine Decretalium Bernardus Parmenſis eruditiſſimas gloſſas edidit.

Tertium Volumen dicitur Sextus Decretalium, quod fuit conflatum à Bonifacio Octauo ſtudio Guilielmi Epiſcopi Ebredunenſis, Berengarij Epiſcopi Biterenſis, & Magiſtri Richardi de Senis illuſtrium illorum temporum Doctorum. Et continet Decretales Epiſtolas Pontificum Bonifacij Prædeceſſorum poſt Gregorium Nonum, & quam plures ab eodem Bonifacio factas. Et diuiditur in quinque libros continentes ſimiliter titulos, & capitula, & citatur per prima verba capituli, addendo titulum, & prætcrea particulam *in 6.* ad diſtinctionem Decretalium v. g. *c. licet, de procurat. in 6.* Dicitur autem Sextus, quia eſt ſextus liber additus quinque prioribus Gregorij Noni, cui Ioannes Andreas Bononienſis egregias gloſſas conſcripſit.

Poſt Sextum eſt Volumen partiale Clementinarum continens Clementis Quinti conſtitutiones, editas in Concilio Viennenſi, diuiſas in quinque libros, continentes titulos, & capitula, & citatur v. g. *c. diſpendioſam Clem. de Iudic.* quas idem Ioannes Andreas gloſſis illuſtrauit.

Sequitur deinde aliud Volumen partiale Extrauagantium continens viginti conſtitutiones Ioannis Vigeſimi ſecundi, & præterea quinque libros Extrauagantium Communium, ſed quartus liber vacat, in quibus comprehenduntur nonnullæ Conſtitutiones diuerſorum Romanorum Pontificum poſt Sextum emanatæ. Et dicuntur Extrauagantes, quaſi extraordinem vagantes. Et omnes extrauagantes ponuntur ſub titulis, & capitulis. Extrauagantes Ioannis citantur per prima verba ipſius extrauagantis addendo titulum v.g. *extrau. ſedes Apoſtolica, de conceſſ. præbend.* Extrauagantes verò communes citantur per capitula, & titulos v. g. *c. gra-*

ue

ut nimis extrau. de reliqu. & venerat. ſanct. Quibus Conſtitutionibus Extrauagantibus, Ioannis Vigeſimi ſecundi Zenzelinus de Caſſanis: communibus verò Ioannes Monachus, Guilielmus de Monte Lauduno, & Ioannes Franciſcus de Pauinis apparatum gloſſarum addiderunt.

Demum Inſtitutiones Canonicas Ioannes Paulus Lancillottus I. C. Peruſinus primus in lucem edidit ſub Pio Papa Quarto, quas ipſe Pauli Quarti Pij Prædeceſſoris iuſſu ad formam Ciuilium Inſtitutionum eruditiſſimè conflauerat, gloſſiſque exornauerat.

Harum facillimum Breuiarium pro veſtro profectu à me, Deo propitio, conflatum vobis pariter dirigo, Adoleſcentes optimi, ſicut in antecedenti Volumine Inſtitutionum Iuris Ciuilis pollicitus ſum, vt hac ratione non modò pro Ciuili Iuriſprudentia, ſed eiam pro Canonica facultate comparanda aditus vobis pateat non laborioſus; voſque præmoneo, ne in his duobus voluminibus Indices materiarum, vt aiunt, ſeù rerum notabilium, perquiratis, quos ego ex induſtria prætermiſi, vt voſmet ipſi maiori quâ poteritis diligentia illos conficere valeatis; quod erit ingenij, ac ſtudij veſtri certiſſimum argumentum.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER PRIMVS

De Iure Canonico.

TIT. I.

OMiſſo Proemio Lancillotti, (in quo ipſe ſolùm innuit occaſionem, quam habuit exarandi has Inſtitutiones, & methodum, quam tenuit in illis conſcribendis) exordium ſumimus à primo libri primi titulo, qui inſcribitur, de Iure Canonico: Pro quo

Aduertendum eſt, quòd Ius eſt nomen generale, & quamplures recipit ſignificationes, quas explicat Bolognett. *in ſuo tract. de multipl. differ. Iur. & fact.* Vnde ad coarctandam tam latam ſignificationem, ponitur in hac rubr. dictio, *Canonico*, vt non intelligatur de quocumque Iure: ſed de eo ſolùm, quod tendit ad dirigendas Chriſtianorum operationes ad vitam æternam. Canonicum enim dicitur ex Græco, ideſt Regulare; canon enim ſignificat regulam.

Quæres an Regulæ Cancellariæ dicantur canones? Reſpondetur cum Gonzal. *ſuper 8. reg. Cancell §. 5. proem. num. 32.* quod ſic; quamuis enim ſint duraturæ ſolùm ad vitam Papæ, qui ipſas facit ſecunda die ſuæ aſſumptionis, reuiuiſcuut tamen in aſſumptione alterius Pontificis, niſi reuocentur; & ſufficit publicatio illarum facta in Cancellaria Apoſtolica, vt ligent: imò nec eſt neceſſaria publicatio, quia ſtatim ligant. Ita Gonzal. *vbi ſupr.*

Definitio autem Iuris Canonici talis eſt. Ius Canonicum eſt, quod Ciuium actiones ad finem æternæ beatitudinis dirigit.

Dicitur, *Ciuium actiones*, ideſt Chriſtianorum operationes. Aliquando autem Ius Canonicum reſpicit etiam Infideles, vel ad

finem

finem conuerſionis eorum, vel ad pœnam eis infligendam *c. poſt miſerabilem de vſur.*

Dicitur, *ad finem æternæ beatitudinis*, quia ſubiectum Iuris Canonici eſt homo dirigibilis ad vitam æternam. Gloſſ. *in c. cum contingat, de iur. iuran. in verb. debent.* ad diſtinctionem Iuris Ciuilis, quod habet pro ſubiecto hominem dirigibilem ad bonum publicum. Felin. *in c. fin. de magiſtr. num.* 2.

Ius autem Canonicum conſtat ex præceptis diuinæ legis, ex conſuetudine, & ex conſtitutionibus; vnde ſequitur.

De Iure Diuino, Conſuetudine, & Conſtitutionibus.

TIT. II.

IVs diuinum propriè continetur in lege Moſayca, & in Euangelio, quod dicitur latinè, *bona nunciatio*. Latè tamen etiam Ius naturale, & ius gentium poſſunt dici Ius diuinum, quia diuina prouidentia ſunt inſtituta, vt inquit Gloſſ. *in can. Ius naturale* 1. *diſt.* Præcepta autem legis, & Euangelij quædam ſunt moralia, & quædam myſtica. Moralia ſunt, quæ reſpiciunt mores hominum, vt ſunt præcepta Decalogi. Abb. *in c. cum eſſes de teſtam:* Et ad moralia pertinent etiam præcepta Iudicialia, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum *d. c. cum eſſes* Angel. in *ſumm. in verb. præceptum*. Myſtica ſunt, quæ vnum dicunt, & aliud ſignificant, vt eſt illud, non arabis in boue, & aſino, ideſt homines diuerſæ profeſſionis in officio vno non ſociabis, vt exponitur *in can. in noua actione* 16. *quæſt.* 7. & illud aliud, non facies tibi veſtem de lana, & lino, ideſt non miſcebis ſacra profanis *c. cum cauſam, de elect.*

Ius autem diuinum eſt immutabile; poteſt tamen declarari, & limitari per ſummum Pontificem, vt dicit Abb. *in d. c. cum eſſes ſub. num.* 14.

§. *Ius Conſuetudinis*

Ius Conſuetudinis, ideſt conſuetudo eſt antiquior lege ſcripta. Ita DD. *in rubr. de conſtitutionib.* & habuit exordium ex quo homines in vnum conuenientes cæperunt ſimul habitare.

Conſuetudo autem ſic definitur *in can. conſuetudo* 1. *diſt.* Eſt Ius quoddam moribus introductum, quod pro lege ſuſcipitur. Ad ipſam autem introducendam plura requiruntur. Videte quæ diximus

mus in Inſtitutionib. Ciuilib. *in §. ex non ſcripto, de Iur. nat. gent. & ciu.* & ponit Angel. *in ſua ſumm. in verb. conſuetudo*. Præcipuè tamen debet eſſe rationabilis, & talis dicitur, quam lex non improbat. Semper autem lex improbat, quoties eſt inductiua peccati. Quapropter ſi non ſit rationabilis, non tenet, imò dicitur corruptela, abuſus, & vetuſtas erroris *c. fin. de conſuetud.* & quamuis liberet à pœna temporali, non tamen liberat à pœna peccati; imò grauius eſt peccatum, in quo diutiùs quis permanet *c. non debet in fin. de conſangu. & affinit.*

§. *Conſtitutio*

Conſtitutio, quæ eſt lex ſcripta, dicitur à verbo *conſtituere*, quod eſt ſimul ſtatuere, quaſi ſit ſimul ſtatuitio, ex eo quia Princeps cum conſilio Senatorum eam faciat. Abb. & Dec. *in rubr. de conſtitutionib.*

Conſtitutio diuiditur in Ciuilem, & Canonicam. Ciuilis eſt quæ fit à Principibus Laicis, vel à Ciuitatibus ipſis *l. omnes populi ff. de iuſt. & iur.* Poſſunt etiam fieri ab Eccleſiaſticis ad bonum regimen ſtatus temporalis, quia Papa conſideratur vt Rex, & vt Pontifex. Ita Nauarr. *in extrau. Gregorij 13. de datis, & promiſſ.* & *in c. nouit, de Iudic.* Ciuiles autem Conſtitutiones ſi non contradicant Iuri Ciuili, vel Canonico ſunt reuerentia dignæ, & Eccleſia eis ſæpè vtitur, maximè contra hæreticos *c. vergentis de hæretic.* Non tamen ligant Eccleſias, aut res, ſiue perſonas Eccleſiaſticas ex defectu Iuriſdictionis, etiam quòd earum fauorem reſpiciant, niſi ab Eccleſia fuerint comprobatæ *c. Eccleſia S. Mariæ de Conſtitution.* Si verò lex aliqua ciuilis ſit recepta à ſacr. canonibus, non poteſt poſtea à Principe Laico tolli, etiam quòd illam à libris Conſtitutionum auferret. Ita Rebuff. *in ſua prax. in reg. de veriſim. notit. gloſſ. 1.*

Si verò Conſtitutio Canonica contradicat ciuili, ita diſtinguitur cum Abb. in *c. 1. de oper. nou. nunc.* Aut ſumus in materia concernente peccatum, & tunc in vtroque foro ſeruatur conſtitutio Canonica, quæ peccatum inducere non poteſt. Aut ſumus in materia non concernente peccatum, & tunc quælibet conſtitutio ſeruatur in foro ſuo. Sed ſi caſus eſt deciſus in Iure Ciuili, & dubius in Iure Canonico in materia non concernente peccatum, ſeruatur ius ciuile in vtroque foro. Si verò eſt deciſus in Iure Canonico, & dubius in Iure Ciuili in ſimili materia, ſeruatur Ius Canonicum in vtroque foro. DD. *in c. licet ex ſuſcepto, de for. compet.*

De

De Eccleſiaſticis Conſtitutionibus.

T I T. I I I.

Eccleſiaſticæ conſtitutiones ſunt vel ſtatuta Conciliorum, vel decreta Pontificum, vel dicta SS. Patrum; & quamuis ſtatuta Conciliorum propriè dicantur Canones: latè tamen etiam decreta Pontificum, & dicta SS. Patrum canonum appellatione continentur. Ita Dec. *in c. 1. de conſtitutionib.*

Concilium ex Græco dicitur à conuocatione; vnde nihil aliud eſt, quàm conuocatio Patrum, ſeu Epiſcoporum in vnum ad determinandum aliquid circa fidem, vel ſtatum Vniuerſalis Eccleſiæ.

Concilia verò quædam ſunt Vniuerſalia, quæ etiam Oecumenica, & plenaria dicuntur: quædam ſunt Prouincialia: & quædam Epiſcopalia.

Vniuerſalia ſunt, quæ SS. Patres, ſeù Epiſcopi ex vniuerſo orbe in vnum conuenientes condiderunt; quorum celebrandorum initium licet ab Apoſtolis cæperit: libera tamen facultas Chriſtianis vt in vnum congregarentur ab Imperatore Conſtantino fuit indulta. Hæc autem vniuerſalia Concilia ſolus Papa conuocat, & ipſe ſolus eſt, qui dat auctoritatem vt conuocentur: Conc. Trid. *in Bulla reaſſumpt. Conc. ſub Iulio Tertio.* Et ita in Eccleſia Vniuerſali receptum eſt; quia Papa eſt Concilio maior, & omnium Maximus *can. ſi Papa* 40. *diſt. c. ſolitæ de maior. & obed.* In his autem vniuerſalibus Concilijs conuenit Papam intereſſe; qui tamen ſi impediatur, poteſt vnum, vel plures ſpeciales ad hoc Legatos conſtituere. Dixi *ſpeciales*, quia generalis Legatus Sedis Apoſtolicæ, vt eſt Legatus de latere non habet hanc facultatem; ea enim, quæ ſpecialiter Romano Pontifici ſunt reſeruata, mandata generali iuriſdictione non transferuntur *c. quod translationem, & c. niſi de offic. Legat.*

§. *Inter Cetera*

Quatuor ſunt principalia Concilia Vniuerſalia, vniuerſam Chriſtianorum fidem complectentia, quaſi quatuor Euangelia, in quibus veluti in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, ſcilicet Nicænum, habitum de anno 325. ſub Syluestro Primo: Conſtantinopolitanum habitum de anno 381. ſub Damaſo Primo: Epheſinum habitum de anno 431. ſub Cæleſtino Primo: & Calcedo-

cedo-

cedonenſe habitum de anno 451. ſub Leone Primo. Quæ quatuor Concilia etiam ab Imperatore Iuſtiniano approbata fuerunt, & pro legibus ſuſcepta, *vt in Auth. de eccleſiaſt. titul.*

§. *Alia verò*

Fuerunt etiam alia concilia Vniuerſalia præter illa quatuor, quæ ab illis proximum locum ſibi vendicant. Quod ſi inter ea diſcors ſententia inueniatur, illius ſententia magis tenenda eſt, cuius auctoritas eſt antiquior, quia quod eſt antiquius, ſanctius eſſe præſumitur, ex quo eſt magis propinquum Apoſtolicis traditionibus, & inſtitutionibus *c. miramur, de ſeru. non ordinand.* In legibus autem ciuilibus, & in conſtitutionibus ſummorum Pontificum contrarium ſeruatur, quia poſterior lex, ſeu conſtitutio derogat priori *l. ſed & poſteriores ff. de legib.* Et opinio Doctoris poſterioris præfertur priori, niſi prior eſſet communis, quia communis opinio præfertur ſingulari, & magis communis præfertur communi. Illa autem dicitur magis communis, in qua plures Doctores concordant. Iaſ. *in l. ſi is, qui pro emptore num. 286. ff. de vſucapionib.* à qua communi opinione non eſt recedendum in iudicando, & conſulendo ceteris paribus, vt Iaſ. *ibid.* Sic etiam poſterior non ſeruatur, quando prior maioribus, & melioribus rationibus innititur. Item ſi Doctor in Lectura tenuit vnam opinionem, & in conſilio alteram, præfertur illa, quam tenuit in conſilio, quia magis deliberatè dicitur procedere conſulendo, quàm legendo, niſi tamen in lectura examinauerit illam opinionem, diſputando articulum ad partes, eamque firmauerit: & poſtea in conſilio dixerit obiter contrariam ſententiam, quia tunc præfertur ſententia, quam tenuit in lectura. Dec. *in c. 1. de conſtitution.*

§. *Prouincialia*

Prouincialia Concilia ſunt, quæ propter Eccleſiaſticas cauſas alicuius Prouinciæ conuocante Metropolitano omnes comprouinciales Epiſcopos, & Cathedralium Eccleſiarum Capitula celebrari ſolent; quæ ſingulis triennijs poſt Octauam Paſchatis Reſſurectionis, ſeu alio commodiori tempore pro modo Prouinciæ conuocari debent, vt diſponit Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reform.*

An autem poſſit Prouinciale Concilium conuocari per Legatum Sedis Apoſtolicæ, ſunt opiniones hinc inde. Communior tamen eſt quòd poſſit. Videte gloſſ. *hic in verb. Metropolitano.*

In

In Prouinciali verò Concilio non poteſt aliquid præcipi de nouo, vel contra Ius: ſed ſolùm quod ſeruetur, id quod aliàs ſtatutum eſt.

§. *Epiſcopalia*

Epiſcopalia Concilia ſunt, quæ Epiſcopi in ſua Diœceſi ſingulis annis conuocant, dum inter ſuos Abbates, Presbyteros, & Clericos cognoſcunt. Et in his poteſt Epiſcopus ſtatuere aliquid præter Ius, non contra Ius *c. fin. vbi DD. de conſtitut. in 6.* Capitulum autem non poteſt aliquid ſtatuere circa ſtatum Eccleſiæ ſuæ ſine auctoritate Epiſcopi. Epiſcopus verò poteſt ſtatuere in ijs, quæ pertinent ad cultum diuinum v.g. vt non fiant commeſſationes, & claudantur tabernæ diebus Dominicis, & feſtiuis vſque ad certam horam, & ſimilia.

Eſt autem adnotandum quod non ligantur ſtatutis Conciliorum Epiſcopalium ſubditi extra Diœceſim *d. c. fin. de conſtit. in 6.* & facit tex. *in l. extra territorium ff. de Iuriſdict. omn. Iudic.* Neque ligantur ignorantes, niſi ignorantia eſſet ſupina; & propterea ad tollendam hanc ignorantiæ allegationem, debet Epiſcopus nota facere ſtatuta ſuis Plebibus, in valuis Eccleſiarum illa publicando. Sciendum autem eſt, quòd regulariter conſtitutiones ligant ſubditos poſt duos menſes. Ita eſt communis opinio, de qua teſtatur Cherubin. *ad conſtit.* 80. *Pij Quarti* & ratio eſt ſecundùm Nauarrum, vt ſit æqualitas inter ſubditos, ne aliquis teneatur à die ſcientiæ, & alter ſtatim. De ſtylo tamen Romanæ Vrbis conſtitutiones ligant à die publicationis, nec officiunt, niſi fuerint publicatæ.

§. *Decreta quoquè*

Decreta Summorum Pontificum exæquantur Canonibus Conciliorum Vniuerſalium, & habent vim legum, quia Papa habet poteſtatem condendi Iura, determinandi omnia, omneſque iudicandi *can. ſi Papa* 40. *diſt.* Ita Valentinianus Imperator ſanxit, vt refert Baron. anno 445. quod decreta, & conſtitutiones Pontificum per totum, & vniuerſum Imperium pro legibus obſeruarentur. Imo Concilia Vniuerſalia ſemper petierunt confirmationem à Papa, pro Capite ipſum recognoſcendo, & ad ipſum ſe referendo, vt pluribus in locis aduertit idem Baron. Papa autem in his, quæ ſunt circa fidem, & in ſuis conſtitutionibus, quas facit vt Papa, errare non poteſt, vt latè DD. & in ſpecie Nauarr. *in c. nouit, de Iudic.* Poteſt

tamen Papa multa facere non vt Papa, ſed vt Doctor. Sic Innocentius IV. fecit Interpretationes ad Decretale, & Gregorius XIII. fecit apoſtillas ad Decretum, quæ tamen non ſeruantur pro conſtitutionibus, quia non fecerunt eas, vt Papa, neque eis auctoritatem decidendi dederunt.

§. *Alia ſanè*.

Dicta Sanctorum Patrum non habent vim Iuris, niſi ſint inſerta inter canones; uam lex canonica præfertur dicto cuiuſlibet Sancti Patris in deciſione cauſarum; vbi enim eſt canon Sum. Pontificis, ceſſat auctoritas SS. Patrum. Si verò iſta dicta ſunt inſerta inter canones, tunc pro canonibus ſeruantur, quia habent auctoritatem à Papa, cuius auctoritate inſerta fuerunt: ſecus verò non; quia licet diuinarum ſcripturarum Interpretes aliquando ſcientia, & doctrina Pontifices præcellant, quia tamen poteſtatem non habent, præferuntur interdum Pontificibus in ſacris ſcripturis exponendis: in decidendis verò cauſis ſecundum poſt eos obtinent locum, cum in negotijs diffiniendis non tantùm ſcientia, ſed etiam poteſtas ſit neceſſaria, vt inquit textus *hìc*. Si verò dictum alicuius Sancti Patris eſſet conforme cum nouo, vel veteri teſtamento, tunc præferri debet cuicunque conſtitutioni in deciſionibus cauſarum. Gloſſ. quæ communiter allegatur ad hoc *in can. de libellis* 20. *diſt. in verb. illorum*. Felin. & Abb. *in c. ne innitaris, de conſtitut.*

§. *Verſatur*

Ius Canonicum verſatur circa perſonas, res, & iudicia. Benè autem dicitur, iudicia, & non actiones quia actiones de Iure Canonico non ſpectantur, cum ad ſubtilitatem pertineant *c. dilecti, vbi gloſſ. de Iudic.* & iſta tria ſunt ſubiectum phyſicum Iuris Canonici, metaphyſicum verò eſt homo dirigibilis in ſuis actionibus ad vitam æternam, vt ſupra diximus.

De Iure Perſonarum.

T I T. I V.

PRima diuiſio perſonarum eſt, quod in Eccleſia Dei quidam ſunt Clerici, & quidam Laici. Laici ex græco dicuntur à po-

po-

populo; ideſt populares: Clerici verò ex græco dicuntur à *ſorte*, quia in ſortem Domini ſunt vocati, & ſegregati à popularibus, ad ſeruiendum Deo ſpeciali modo *gloſſ. in c. fin. de Cleric. venat. & can. duo ſunt 12. quæſt. 1. DD. in c. 1. de conſtitut.* vbi quærunt an appellatione populi veniat Clerus. Et dicunt quod in fauorabilibus veniat: in odioſis minimè. Vnde interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus. Appellatione autem Clericorum latè ſumpta veniunt omnes, qui habent ordines in quacunque ſint dignitate, aut ordine conſtituti, etiam in prima tonſura *c. cum contingat de ætat. & qualit.* Veniunt etiam Epiſcopi in fauorabilibus. Angel. *in ſumm. in verb. Clericus il 1.* Item veniunt etiam illi, qui non habent ordines, nec primam tonſuram, ſed ſolùm ſunt Eccleſiaſtici, qnales ſunt Equites Hieroſolymitani, & alij Gloſſ. *in c. ſciant cuncti de elect. in 6. in verb. Eccleſiaſticas*, & Gloſſ. *in can. quiſquis 17. quæſt. 4. in verb. Eccleſiaſticis*, quia iſti ſunt ſeparati a lege matrimonij, & obligati ad recitandas horas canonicas, & habent certum, & limitatum ordinem viuendi à Pontificibus inſtitutum, vt *in Clem. 2. de Religioſ. domib.* Strictè verò appellatione Clericorum veniunt ſolùm illi, qui habent ordines.

§. *Horum autem*

Ex hoc textu eſt ad notandum, Clericorum hierarchiam eſſe; quod alij ſint in ſacerdotio, alij in ſacris ordinibus, & alij in minoribus conſtituti. Et qui ſunt in Sacerdotio, vel ſunt Patriarchæ, vel Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, vel ſimpliciter Sacerdotes, quorum omnium ſummus eſt Papa. Cardinales autem ſunt in hierarchia Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Primi enim ſex ſunt Epiſcopi, quinquaginta ſequentes ſunt Presbyteri, & vltimi quatuordecim ſunt Diaconi, & omnes inſimul numerum ſeptuagenarium excedere non debent ex *conſtit.* 50. Sixti Quinti. Si quis autem dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, eſt anathema Conc. Trid. *ſeſſ. 23. can. 6.* ſed Gloſſ. *hic* conſiderat, quòd textus ponit Epiſcopos in alio ordine, quoniam Canoniſtæ dicunt, quod Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus à Sacerdotio, ſicut etiam prima tonſura eſt alius ordo diſtinctus à Minoribus: Theologi autem negant. Canoniſtis fauet Nauarr. *in manual. cap. 22. n. 18.* Et pro Theologis ſentit Bonaccin. *de ſacram. diſp. 8. quæſt. vnic. punct. 1. num. 3.* ſed videntur poſſe concordari Theologi, cum

Canoniſtis, dicendo quod Epiſcopi habent diuerſum ordinem ſolùm quoad aliquos effectus, qui non ſunt communes cum ceteris Presbyteris, ſed proprij dignitatis Epiſcopalis ex determinatione Eccleſiæ, ſcilicet quoad confirmandum, ordinandum, conſecrandum &c. quoad alia verò conueniant cum ceteris Sacerdotibus, ita vt ipſi dicantur maiores Sacerdotes: Presbyteri verò minores.

De Epiſcopis, & Summo Pontifice.

TIT. V.

Notandum eſt 1. quod in Eccleſia Dei ſunt Dignitates, & Iuriſdictiones ad inſtar earum, quæ ſunt in Imperio. In Eccleſia enim primo loco eſt Papa tanquam luminare maius, ſicut in Imperio eſt Imperator tanquam luminare minus. Ita inquit textus *in c. ſolita §. præterea, de maior. & obed.* Poſt Imperatorem eſt Senatus: ſic poſt Papam ſunt Cardinales, qui faciunt Senatum, quem dicimus Conſiſtorium. Veſtrius *in ſua prax.* & Grauat. *ad eumdem Veſtr. lib. 1. cap. 1.* Poſt Senatum ſunt Conſules: ſic poſt Cardinales ſunt Patriarchæ. Poſt Conſules ſunt Proconſules: ita poſt Patriarchas ſunt Primates. Poſt Proconſules ſunt Præſides Prouinciarum: & poſt Primates ſunt Archiepiſcopi, qui præſunt Prouincijs. Poſt Præſides ſunt Defenſores Ciuitatum: ſic poſt Archiepiſcopos ſunt Epiſcopi, qui regunt Ciuitates, & habent ſub ſe caſtra, & villas; ipſi autem ſub Archiepiſcopis ſunt, quorum dicuntur Suffraganei. Et ſicut poſt Defenſores Ciuitatum ſunt alij Magiſtratus inferiores: ita poſt Epiſcopos ſunt Abbates, qui præſunt Monaſterijs, ac Rectores Parochiales, qui præſunt Parochijs. Ita Bolognet. *in l. 1. ff. de offic. eius, cui mand. eſt Iuriſd.*

Notandum eſt 2. quòd Epiſcoporum ordo tripartitus eſt. Nam quidam ſunt Patriarchæ, & Primates: quidam ſunt Archiepiſcopi: & quidam ſimpliciter Epiſcopi. Et ita Epiſcopi nomen genericum eſt ad hunc triplicem ordinem: imò & ipſe ſummus Pontifex appellatur Epiſcopus.

Papa eſt Ordinarius Ordinariorum, ideſt Epiſcopus Epiſcoporum, habens vniuerſum Mundum pro ſua Parochia: & omnis Iuriſdictio ab eo defluit, & ad ipſum refluit. Ita Gonzal. *ſup. 8. reg. Cancell. §. 1. proemial.*

Cardinales primi ſunt poſt Papam, ſic dicti, quia ſunt principales Clerici, tanquam Cardines in Eccleſia Dei. Non ponuntur

in

in textu, vel fortaſſe, quia ab initio Cardinales erant Presbyteri Romani, vt refert Baron. & primò à B. Syluestro fuerunt appellati Cardinales: vel forte quia Cardinalatus prius erat officium; erant enim Presbyteri Regionarij, ideſt addicti ſingulis Regionibus Eccleſiæ pro regimine animarum. Ceterum Eugenius IV. conſtituit, vt poſt Papam Cardinales primum locum obtinerent, ipſi crearent ſummum Pontificem, & eſſent tanquam Apoſtoli aſſiſtentes Chriſto, Epiſcopi verò tanquam Diſcipuli. Ita *in* 15. *conſtitut.* Quod ſi vlteriorem notitiam de Cardinalatu exoptatis, videte Cohell. *in ſuo tract. de notitia Cardinalatus, & præcipuè cap.* 16. in quo ponit ſupra 40. priuilegia S. R. E. Cardinalium, inter quæ primum priuilegium eſt, vt ad ipſos tantùm ſpectet creatio ſum. Pont. excluſis Clero, & Populo &c.

§. *Patriarchæ*

Patriarchæ dicuntur quaſi Patrum Principes *can.* 1. 21. *diſt.* & ſunt quatuor, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus *c. antiqua, de priuileg.* Ceteri potius ſunt Primates. Ita inquit Gloſſ. *in c. nulli Archiepiſcopi* 99. *diſt. in verb. qui Primas*, & Caſſanæus *in Catalog. Glor. Mund. part.* 4. *conſider.* 9. *&* 19.

Quatuor autem ſunt priuilegia, quibus Patriarchæ gaudent. Primum eſt quòd poſt quam ipſi receperint Pallium à Sede Apoſtolica, cui iuramentum præſtiterint, conferunt etiam ipſi Pallium Metropolitanis, quibus præſunt. Secundùm quod ipſi recipiunt à Metropolitanis iuramentum fidelitatis, & obedientiæ, pro ſe, & pro Rom. Eccleſia. Tertium quod appellatur ad eos, omiſſis medijs. Quartum eſt quod deferunt Crucem ante ſe vbicunque præter quam Romæ, & vbi fuerit Pontifex, vel Legatus de latere, vtens Inſignibus Papalibus. Quæ priuilegia recenſentur *in d. c. antiqua de priuileg.* Archiepiſcopi verò deferunt Crucem ſolùm in ſua Prouincia.

§. *Archiepiſcopi*

Archiepiſcopus eſt Præſul Epiſcoporum vnius Prouinciæ. Ipſe enim ſuperior eſt, & alij dicuntur Suffraganei, quia ei ſuffragantur, ideſt coadiuuant in regimine animarum. Dicitur etiam Archiepiſcopus, Metropolitanus a Metropoli; & Metropolis ex græco ſignificat Ciuitatem maiorem *can.* 1. 21. *diſt.*

Quam-

Quamuis autem Aschiepiſcopus ſit maior Epiſcopis in ſua Prouincia, non tamen habet Iuriſdictionem in ſubditos eorum niſi cauſæ ad eum ſint deuolutæ, vel propter negligentiam Suffraganeorum, vel propter appellationem. Et licet olim habuerint Archiepiſcopi Iuriſdictionem in ſuos Suffraganeos: tamen hodie per Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 5. *de reform.* diſpoſitum eſt, quòd cauſæ Criminales grauiores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quæ depoſitione, aut priuatione dignæ ſint, à Papa ſolùm cognoſcantur, & terminentur. Quòd ſi ſit cauſa extra Rom. Curiam neceſſariò committenda, nemini committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis à Papa eligendis, & commiſſio ſit ſpecialis, & manu Papæ ſignata, & ille ſolùm, cui committitur, conficiat proceſſum, & remittat ad Papam, qui ſolùs ſententiam diffinitiuam ferat. Minores verò cauſæ criminales contra Epiſcopos in Concilio tantùm Prouinciali cognoſcantur, & terminentur, vel à deputandis per ipſum Conc. Prouinciale.

§. *Simpliciter*

Epiſcopi ſunt qui maioribus Populis, & frequentioribus præſunt Ciuitatibus. Et dicitur Epiſcopus ex græco, ideſt Superintendens *d. can.* 1. *diſt.* 21, Azo *in ſumm. C. de Epiſc. & Cleric.* Vnde dicuntur etiam Speculatores, quia mores, & vitam ſuorum ſubditorum ſpeculantur, & corrigunt,

§. H*orum autem*

Quædam autem conueniunt Epiſcopis, quæ non conueniunt Presbyteris ſimplicibus. Si quis verò dixerit Epiſcopos non eſſe Superiores Presbyteris, vel non habere poteſtatem conſecrandi, confirmandi, ordines conferendi &c. vel eam, quam habent, eſſe communem eum Presbyteris: vel ordines ab eis collatos ſine populi, vel Poteſtatis ſecularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe, eſt anathema. Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 7. In multis autem conſiſtit Epiſcopi auctoritas, & poteſtas, quæ duplex eſt. Alia ordinis, ſeù dignitatis: alia Iuriſdictionis. Ordinis, ſeù dignitatis eſt conſecrare Eccleſias, conficere Chriſma, ordinare Clericos &c. vt in textu, & hæc Presbyteris committi non poteſt. Iuriſdictionis eſt excommunicare, interdicere, ſuſpendere &c. & iſta committi poteſt: Quæ omnia competunt etiam Archiepiſcopis, Primatibus,

&

& Patriarchis, non tamen Cardinalibus, niſi etiam ipſi ſint Epiſcopi.

§. *Sicut*

Dicit textus, quod Eccleſia Romana eſt caput omnium Eccleſiarum Mundi, & quod Papa eſt Caput totius Eccleſiæ, & habet poteſtatem, & Iuriſdictionem in toto Mundo, à Chriſto Domino B. Petro Apoſtolo, & eius Succeſſoribus datam. Ipſe autem omnes iudicat, & à nemine iudicatur, & inſtituit omnia beneficia Eccleſiaſtica, & omnes dignitates; ideoque eorum diſpoſitio ad ipſum ſolum ſpectat. Ceteri Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſuis Eccleſijs ſunt Papæ Vicarij, in partem ſollicitudinis vocati, non in plenitudinem poteſtatis *can. decreto, &* *can. qui ſe ſcit* 2. *qu.* 6. *& can. multum ſtupeo* 3. *qu.* 6. quibus ipſe Papa conceſſit diſpoſitionem, & collationem quorundam beneficiorum. Videte Gonzal. *ſuper* 8. *Reg. Cancell.* §. 1. *proemial. per totum*, qui plura alia ponit circa hanc materiam, & ad omnia quam plures adducit Doctores.

De Electione.

TIT. VI.

Epiſcopi, & ceteri Prælati promouentur vel per electionem; vel per poſtulationem; & olim Epiſcopi eligebantur à Clero, ac ſæpè interueniebat Populus, ex quo multoties ſimoniæ, & ſeditiones committi contingebat; Vnde Papa ad euitanda iſta inconuenientia prohibuit electionem fieri à Clero, & interuenire populum, illamque ad ſe auocauit, exceptis quibuſdam locis, apud quæ ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ remanſit forma antiqua electionis. Si quis autem dixerit, Epiſcopos, qui auctoritate Papæ aſſumuntur, non eſſe veros, & legitimos Epiſcopos, ſed figmentum humanum, eſt anathema Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *can.* 8. & ſi quis dixerit Epiſcopos, qui nec ab Eccleſiaſtica poteſtate ritè ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi, & ſacramenti miniſtros, eſt anathema Conc. *ibid. can.* 7. Quomodò autem hodiè eligendi ſint Epiſcopi, & quid ſit ſeruandum à Papa, & quid in Conſiſtorio agendum, in quo debent præconizari, ponit Conc. *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformat.*

§. Ce-

§. *Ceterum*

Electio ſic definitur, eſt hominis alicuius ad dignitatem, vel fraternam ſocietatem canonicè facta vocatio.

Dicitur, *hominis*, quia veniunt etiam fœminæ, vt ſunt Abbatiſſæ &c.

Dicitur, *canonicè*, quia ad illam legitimè faciendam plura requiruntur, & præcipuè quòd omnes, qui habent ius eligendi, ſint citati pro certo die, & hora, & certo loco ad intereſſendum electioni faciendæ de Prælato talis Eccleſiæ, viduatæ per mortem talis Prælati; aliàs videndum incohari, proſequi, & perfici electionem ſine ipſis. Et ſi vnus de illis, qui debent citari, non fuerit citatus, electio redditur nulla, quia magis nocet vnius contemptus, quàm multorum contradictio *l. ſi in tres ff. de recept. arbitr.*

Dicitur, *Eccleſia viduata*, quia ſi viuit adhuc Epiſcopus, vel Prælatus, qui dicitur coniux ſpiritualis Eccleſiæ, non poteſt alius eligi *c. qui alium de ſimon.* nemo enim debet occupare beneficium viuentis.

Eſt autem ad notandum, quod ius eligendi poteſt quis habere vel ratione proprietatis, vel ratione poſſeſſionis, *vt in c. cum Eccleſia Sutrina, de cauſ. poſſ. & propr.* vbi Canonici agebant de proprietate, eo quod Ius eligendi pertinet ad Canonicos, qui faciunt Capitulum. Sed Beneficiati illius Eccleſiæ agebant de poſſeſſione, eo quod ipſi aliàs elegerunt, ideoque manutenendi eſſent in poſſeſſione eligendi. Omnes autem in electione facienda citari debent, habentes aliquo modo ius eligendi. Ius autem proprietatis eſt in Capitulo, ſeù Canonicis, vel alijs, qui tale ius habent, vel ex pacto, vel ex priuilegio, vel ex conſuetudine, vel ex præſcriptione. Si verò is, qui citatus non fuit, velit habere ratam electionem, electio eſt confirmanda. Et ratio eſt, quia quod abſens citetur eſt ſolùm de Iuſtitia, non de forma ſubſtantiali ipſius actus. Abb. *in c. Eccleſia veſtra il 2. de elect.*

Quæres quomodo poteſt ratificari electio, ſi iam eſt irrita, & non valet?

Reſpondetur, quod non valet, ſi impugnetur; vnde quouſque non impugnatur, ſuſtinetur; & ideò textus ſuperiùs dicit, quod non citatus reddit irritam electionem; quod intelligitur non ipſo iure, ſed ſi is, qui contemptus eſt, opponat, vt gloſſ. *ibi in verb. irritam*, & Abb. *in c. in Geneſi, de elect.*

Quæres iterum quantum tempus habet citatus veniendi ad electionem? Reſ-

Reſpondetur habere tres menſes. Sed Capitulum poteſt hoc
mpus reſtringere, vt inquit Abb. in d. c. Eccleſia veſtra.

§. Sed, & ſi quis

Abſens ſi fuerit legitimè impeditus accedere ad electionem,
oteſt vni, vel pluribus votum ſuum demandare, qui tamen
nt de Capitulo, quia ſi non poſſunt intereſſe electioni, aut eli-
ere nomine ſuo, nec poſſunt alterius nomine, & ita nec poſſunt
ſe Procuratores ad eligendum c. ſi quis iuſto §. fin. de elect. in 6.
uod ſi quis culpa ſua fuerit abſens, non poterit inuito Capitu-
procuratorem eligere, aut ſaltem non eſt neceſſe eum vocare.
nnocent. in c. 2. de oper. nou. nunciat.

§. Et ſi tantùm

Procurator autem ad eligendum ſimpliciter conſtitutus, non
oteſt vnum eligere nomine ſuo, & alium nomine conſtituentis,
uia qua conſcientia tenetur meliorem eligere ſuo nomine, eum-
em tenetur eligere nomine mandantis d. c. ſi quis iuſto §. porrò, &
i Hoſtienſ. Sed ſi mandans expreſſerit nomen eligendi, tunc
ro abſente non poterit procurator eligere niſi nominatum, quia
ebet ſeruare fines mandati l. diligenter ff. mand. pro ſe verò alte-
um eligere poterit vt in d. §. porrò. Melior autem dicitur qui ap-
or eſt ad illud officium, vel ad dignitatem, ad quod, vel ad
uam aſſumitur. Latè Rebuff. in c. poſtulaſtis, de Cleric. excomm.
4. notab. num. 56. & ſeqq.

§. Quod ſi pluribus

Quod ſi pluribus in ſolidum vices ſuas quis commiſerit, erit
nelior conditio occupantis c. non iniuſtè de procurat. ambo enim
n ſolidum non poſſunt eligere, quia poſſent dirigere vota in
iuerſos. Si verò ita concurrant, vt inter eos non appareat prior,
ſt admittendus ille, quem Capitulum, vel maior pars Capituli
legerit, quia quod à maiori parte fit, ab omnibus fieri dicitur
quod maior ff. ad municipal. Qui tamen ſi concordare nequeant,
s admittetur, qui primus in Inſtrumento, vel litteris procuratio-
is nominatus fuerit d. c. ſi quis iuſto, in princ, verſic. verùm ſi ambo
uia primò nominatus dicitur magis dilectus. Sed ſi primus nul-
o modo appareat, quod poteſt contingere ex diuerſitate Inſtru-

mentorum procurationis, vt quando in vno inſtrumento nominatur primo Caius, & deinde Titius: & in alio nominatur primo Titius, & deinde Caius, quæ duo inſtrumenta eadem die appareant confecta, tunc neuter admittetur, & ſibi imputet mandans, qui ſic eos conſtituit; damnum enim, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi, & non alijs imputare debet *c. damnum de reg. iur. in 6.*

§. *Sin autem plures*

Non ſunt admittendi plures non in ſolidum conſtituti Procuratores, propter eandem rationem, ſcilicet quia poſſent dirigere vota ſua in diuerſos, & ſic electio non haberet effectum *d. c. ſi quis iuſto in princ. verſic. ſin autem nullus.* Nec obſtat *tex. in c. ſi duo §. fin. de procurat. in 6.* vbi ſi duo fuerint dati procuratores in cauſis electionum, poſtulationum, prouiſionum, & aliorum ſpiritualium negotiorum, Iudex debet eligere magis idoneum, & ipſe proſequetur. Reſpondetur enim, quod ille textus loquitur de procuratore dato ad Iudicia, nempe in cauſis electionum &c. Sed textus noſter loquitur de procuratore dato ad negotia, ſcilicet ad ipſam electionem faciendam *Gloſſ. in d. c. ſi quis iuſto in princ. in verb. admitti* Et ratio diuerſitatis eſt, quia electio poteſt fieri per alios de Capitulo ſine illis procuratoribus: ſed cauſæ, ſeu Iudicia non poſſunt exerceri ſine procuratore, cum Iudicium ſit legitimus actus trium perſonarum, ſcilicet, Actoris, Rei, & Iudicis Azo *in ſumm. C. de Iudic.* Pro actoribus autem, & reis debent interuenire procuratores.

§. *Sed cum abſens*

Per litteras autem non poteſt votum reddi, quia in ipſo Scrutinio ſecretè, & ſingillatim vota ſunt exprimenda; quod intelligitur etiam ſi nullus de Capitulo velit eſſe procurator abſentis, nec minus extraneus aliquis reclamante Capitulo ab abſente conſtitui poſſit. Sed ſi aliquis ſit intra clauſtra, ſeù ſepta Eccleſiæ, qui non poſſit ob infirmitatem intereſſe in Eccleſia, ſeù in loco electionis, poterunt mitti ſcrutatores ad recipiendum eius votum.

§. *Sed hæc quidem*

Electio Summi Pontificis non cadit ſub regulis ordinariæ electio-

ctio-

ctionis ; quia Cardinales abſentes non ſunt citandi, neque procuratores poſſunt conſtituere: ſed debent per ſemetipſos intereſſe electioni, de cuius forma habetur *in c. vbi periculum, de elect. in 6.* & pro ea ad ſunt *Conſtitutio 63. Pij IV. & Conſtitutio 13. Gregorij XV. cum Caremoniali eiuſdem*, quæ forma hodie ſeruatur.

§. *Celebratur autem*

Electio tribus modis celebratur. Primo per inſpirationem. Secundo per Scrutinium. Tertio per compromiſſum.

Per inſpirationem fit, quando omnes, qui habent ius eligendi diuini Spiritus impulſu in vnum repente conſentiunt, & ſimul vnum nominant. Vno autem contradicente non dicitur eſſe per inſpirationem, quia Spiritus Sanctus non dimenſuratur, ſed æqualiter ſuper omnes diffunditur, ſicut ſol cum naſcitur *can. nec quemquam §. Spiritus vero de conſecr. diſt. 4.* Sed ſi præcedente tractatu facta ſit electio, non dicetur per inſpirationem. Poſſunt tamen ſe inuicem eligentes hortari, vt bonum Paſtorem eligant, vt habeant Deum præ oculis, & ſimilia. Ita Mandagot. *in tract. de elect. cap. 53.*

§. *Quòd ſi fortè*

Electio facta ad clamorem laicorum, vel precibus, aut pretio corruptorum, dicitur potius electio facta per nefariam conſpirationem, quam per inſpirationem; vnde nulla eſt, & inualida. Dubitatur autem numquid preces inducant ſimoniam. Et gloſs. *hic* dicit quòd inducitur ſimonia. Sed Nauarr. *in extrau. Gregorij XIII. de dat. & promiſ. pro grat. vel iuſtit. n. 28.* inquit quòd nunquam preces quatenus ſolùm preces ſunt, ſimoniam inducunt, nec æquiparantur pretio, niſi cum acciperentur, & darentur pro pretio. Eſt autem in hac materia adhibenda diſtinctio, quam adhibet *gloſſ. in c. tuam de ætat. & qualit. in verb. nullum prorſus*, ſcilicet, aut eligitur quis, vel ordinatur ſuis precibus, aut alienis. Si ſuis, aut eſt idoneus, aut indignus. Si idoneus eſt, ſimonia non committitur, dummodo indigeat, quia tunc illæ preces non cenſentur ambitioſæ, ſed propter neceſſitatem porrectæ. Si verò non indigeat, licet ſit idoneus, preces cenſerentur ambitioſæ, & ſimonia committeretur, ſicuti ſi quis pro ſe indigno preces porrigeret. Si quis verò alienis precibus ordinatur, vel eligitur, iterum diſtinguitur, aut ſunt preces ſpiritua-

rituales; aut carnales. Si ſunt carnales, ideſt procedentes ex affectione, & pro indigno porriguntur, ſimonia committitur, quia ſuccedunt tales preces loco pretij. Si pro digno porriguntur, licitè, poſſunt admitti, dummodo Superior non habeat reſpectum ad preces, ſed ad merita. Si verò preces sint ſpirituales, ideſt ſolùm merita reſpicientes, admitti poſsunt, & licitæ ſunt, nec vllam ſimoniam inducunt. Ita diſtinguit prædicta Gloſsa. Videte illam, & iura per ipſam allegata. Poteritis etiam videre D. Thomam 2.2. *quaſt.* 100. *art*, 5. *ad* 3. & Sylueſtr. *in verb. ſimonia* 16.

§. *Per Scrutinium*

Secundo modo electio fit per ſcrutinium, cum præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſsunt commodè intereſse, tres de Collegio fide digni aſsumuntur, qui ſecretè, & ſingulatim vota cunctorum diligenter exquirant; & in ſcripturam redacta publicent; quo facto collatione habita is cenſetur electus, in quem omnes, vel maior, & ſanior pars Capituli ſtatim conſenſerit. Ex quo apparet, ſex eſse neceſsaria in Scrutinio. Primo, quòd Scrutatores aſsumantur. Secundo, quòd vota ſecretè, & ſingulatim à Scrutatoribus exquirantur. Tertio, quòd in ſcriptis redigantur. Quarto, quòd vota in ſcriptis redacta mox in communi, & pleno Capitulo publicentur. Quinto quod collatione habita ſtatim communis electio ſequatur. Sexto quod eligatur ille, in quem maior, & ſanior pars conſenſerit. Et ſi quid ex his deficiat, electio, nulla eſt.

In electione autem Superiorum quorumcunque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium, ac Generalium, & Abbatiſſarum, & aliarum Præpoſitarum, vt omnia rectè, & ſine vlla fraude fiant, eligi debent per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25 *cap.* 6. *de Regular. & Monial.*

Quæres quis ſcrutabitur votum ipſorum Scrutatorum?

Reſpondetur cum Ioan. And. quod duo ex ipſis Scrutatoribus tertium ab initio ſcrutabuntur, ne ſit in eorum poteſtate electio, ſi in ſine dent votum. Ita gloſſ. *hic in verb. cunctorum*, quæ ponit etiam aliam reſponſionem, ſcilicet quod dabitur quartus ſcrutator cum tabellione, qui ſcrutabitur illos tres. Sed dicit gloſſ. quod melior eſt prima reſponſio ſecundùm Abb. *in c. quia propter hoc eod. tit.*

§. Quod

§. *Quòd ſi*

Pars autem minor eligentium poteſt infringere electionem factam à parte maiori, ſi tamen minor pars ſit ſanior, & de maioribus meritis electi doceat. Satis autem docetur de ſanioritate, ſi doceatur de maioribus meritis electi, quia cauſa cognoſcitur ab effectu *ad tex. in l. non codicillum. C. de teſtamentis*. Imò ex hoc maior zelus probatur eligentium. Attenditur etiam auctoritas eligentium, quæ procedit vel ex ætate, vel ex ſcientia, vel ex nobilitate in Clericis ſecularibus: ſecus in Regularibus, apud quos non attenditur nobilitas, cum dicantur mortui Mundo *l. Deo nobis C. de Epiſc. & Cleric.*

Hoc autem non procedit, quando pars numeroſior eſt duplo maior, quia ſufficit quod ſint duæ partes ex tribus ad hoc vt dicatur electio Canonica, nec poſſit opponi de ſanioritate, vt inquit gloſſ. *hic*. Verumtamen non prohibetur minor pars dicere de nullitate electionis, vt quia ſit ſimoniaca, vel quid ſimile iuxta *conſtitution*. Iulij Secundi *latam anno* 1505.

§. *Vocantur*

Debent in Scrutinio aſſumi tres viri de Collegio Scrutatores; qui ſingulorum vota diligenter ſcrutentur, vt ſupr. diximus. Nec poſſunt eſſe pauciores, quàm tres ſecundùm communem opinionem, de qua teſtatur gloſſ. *hic*, & concordat *cum c. quia propter, hoc eod. tit.*

§. *Per Compromiſſum*

Tertio modo fit electio per compromiſſum, quando plures idonei viri eliguntur, qui vice omnium debent eligere, & iſti appellantur compromiſſarij, ſiue arbitratores. Poteſt etiam in vnum tantùm fieri compromiſſum, vt *in c. cauſam, hoc eod. tit.* ſed vt compromiſſum poſſit fieri, debent omnes de Collegio conſentire, quia vno contradicente non poteſt fieri compromiſſum, cum nemo inuitus debeat priuari iure ſuo *l. id quod noſtrum ff. de reg. iur.* nec poteſt poſtea ratificare DD. *in d. c. quia propter*: ſecus ſi non contradixerit, ſed ſolùm eius voluntas non fuerit requiſita, quia poteſt tunc compromiſſum ratificare.

Dicitur autem in textu, *idonei viri*, quia debent eſſe Eccle-

ſia-

ſiaſtici; Laici enim non poſſunt eſſe compromiſſarij in hoc negotio, cum ſint incapaces ſpiritualium *c. contingit de arbitr.* Quod intelligitur etiam ſi eſſent Religioſi: ſed in Clericum Religioſum compromitti poteſt; quamuis enim Clericus Religioſus non poſſit eſſe arbiter ſine licentia ſui Prælati, vt *in can. obeuntibus 63. diſt.* & ſecundùm Hoſtienſ. *in ſumm. de arbitr.* poteſt tamen eſſe arbitrator, vt in iſto caſu. Arbiter autem dicitur qui iudicat ſecundùm Ius: Arbitrator qui ſecundùm factum iudicat. Carpan. *ad ſtatut. Mediolani cap. 1. num. 19. vol. 1.* vbi ponit plures alias diſtinctiones inter arbitros, & arbitratores.

§. Quòd ſi intra

Arbitratores debent ſeruare fines compromiſſi, quia compromiſſum quoque eſt mandatum, & mandatum debet ſeruari in ſua forma *l. diligenter ff. mand. & §. is, qui exequitur Inſt. de mandat.* qui ſi hoc ſeruauerint, & res non ſit amplius integra, vt quia de ipſo negotio iam cæperint tractare, non poſſunt amplius reuocari *ad tex. in. §. rectè Inſt. de mand.*

Qui eligere, eligiuè poſſunt.

TIT. VII.

ELigere poſſunt omnes, qui habent Ius eligendi vel ratione proprietatis, vt ſunt Canonici, etiam ſupranumerarij: vel ratione legitimæ conſuetudinis, vel ratione præſcriptionis 40. annorum, vel ratione pacti, vt ſi aliquis Patronus in fundatione Eccleſiæ id pepigerit, vel ratione priuilegij. Laici autem non poſſunt eligere, niſi ex priuilegio Apoſtolico, non tamen ex conſuetudine, vel præſcriptione. Abb. *in c. quiſquis de elect.* cum ipſi non ſint capaces Iurium Spiritualium *c. quanto, de Iudic.* Si verò aliqui ſint in poſſeſſione eligendi, interea ſunt manutenendi, quamuis non doceant de proprietate, ſed ſolùm de poſſeſſione, dum tamen ſint tales, qui aliter non ſint incapaces *c. cum Eccleſia Sutrina, de cauſ. poſſeſſ. & propriet.*

Ampliatur hoc primo in qualibet Congregatione, quod poſſit ſibi eligere Superiorem, niſi obſtet contraria conſuetudo *can. Congregatio 16. quæſt. 7.*

Secundo ampliatur etiam ſi duo, vel tres ſolùm fuerint *c. 1. de elect.*

Ter-

Tertio etiam ſi plures de Collegio eſſent effecti inhabiles, vt excommunicati, quia alij etiam in minori parte poſſunt eligere.

Quid verò ſi omnes eſſent inhabiles vno excepto, an iſte vnus poſset ſe ipſum eligere?

Et videbatur affirmatiuè dicendum, quia Ius Vniuerſitatis in eo ſolo remanet per tex. *in l. ſicut* §. *fin. ff. quod cuiuſque Vniuerſitatis, & ibi gloſſ. & Bart.*

Summiſtæ tamen tenent contrarium, quòd ſolus non poſſit ſe ipſum eligere, ne ambitione notetur. Et hæc videtur ſententia verior, & probabilior, quia debet eſse diſtinctio inter eligentem & electum, præſentantem, & præſentatum &c. vt dicitur *in c. per noſtras, & ibi gloſſ. in verb. præſentare, de Iurepatr.*

Nec releuat quòd in vno remaneat Ius Vniuerſitatis, quia hoc Ius non poteſt operari in ijs, in quibus datur repugnantia, vt in caſu noſtro.

§. *Sed neque*

Non poſsunt eligere primo pupilli, quia non habent animi iudicium; quod intelligitur ſi per diſpenſationem pupillus eſset Canonicus, cum ad Canonicatum obtinendum in Eccleſijs Cathedralibus requiratur ætas ſufficiens ad ordinem ſacrum Canonicatui adnexum ex diſpoſitione Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reformat.* & in ceteris Collegiatis ſufficiat ætas 14. annorum, cum Concilium circa hoc nihil innouauerit, prout teſtatur Garz. *de Benefic. part.* 7. *cap.* 4. *à num.* 15. *vſque ad num.* 41.

Secundo non poſsunt eligere qui in ſacris non ſunt conſtituti. Sed an Conuerſi poſſint eligere Prælatum Monaſterij? & dicitur quòd non *c. ex eo* §. *fin. de elect. in* 6. Innocent. *in c.* 2. *de Inſtitut.*

§. *Illud Quæſitum*

Tertiò prohibentur eligere anathemate percuſſi, ſeù excõmunicati excommunicatione maiori, quia iſti nec eligere poſſunt, nec eligi. Quod procedit etiam ſi fuerint occulti. Et hoc amplia vt neq; poſſint poſtulari. Item vt neque poſſint præſentare, aut præſentari; quia Iura loquentia de electione habent locum etiam in præſentatione. Gloſs *in c. ſciant, & in c, fin. de elect. in* 6. Excommunicati vero excommunicatione minori licet eligi non poſſint, non tamen prohibentur eligere, quæ omnia ponuntur per Rebuff. *in c. poſtulaſtis de Cleric. excomm. in* 2. *notab. n.* 46. *cum pluribus ſeqq.*

§. *In*

§. *In ſuſpenſo autem*

Quarto ſuſpenſi ab homine, ſeù per ſententiam Iudicis, nec eligere, nec eligi poſsunt. Item nec beneficia impetrare, nec eis conferri: imò nec nominari ad beneficia, ſeù dignitates Rebuff. *vbi ſupr.* ſecus autem ſi ſuſpenſi ſint per Iuris diſpoſitionem, quia tunc ab electione non remouentur.

§. *His quoquè*

Quinto prohibiti à Superiore ne eligant, eligere non poſsunt:

Sexto abſentes eligere non poſsunt per ſe met ipſos, ſed iuſtis de cauſis impediti poſsunt per procuratorem ſecundùm ea, quæ diximus *in tit. ſuperiori*.

Septimo Hæretici, aut Schiſmatici non poſsunt nec eligere, nec eligi, cum ſint excommunicati maiori excommunicatione per tex. *in c. vergentis, de hæretic.*

§. *Interdum*

Octauo eligere non poſsunt illi, qui aliter eligunt, quàm ſecundùm formas traditas, quia priuantur iure eligendi; quæ formæ ſunt inuentæ ad euitanda ſcandala, pericula, & fraudes; vnde ſi quis ſine ſcandalo, & fraude ſit electus non ſeruata prædicta forma, in foro conſcientiæ tutus eſt, Rebuff. *vbi ſupr. num.* 43. Quatenus verò dicitur, quòd talis nòn eligens ſecundùm formas traditas, priuatur iure eligendi, intelligitur pro illa vice tantùm *c. ne pro defectu, de elect.* & non ipſo iure, ſed præcedente ſententia declaratoria, vt notatur per gloſſ. *in c. quia propter, de elect. in verb. priuentur*.

Nono priuantur electione pro illa vice tantùm illi, qui intra tempus ſtatutum non elegerunt, quòd eſt trium menſium; quo caſu ad proximum Superiorem eligendi poteſtas deuoluitur, qui ſi intra tres alios menſes eligere neglexerit, ipſe quoque pro ea vice eligere prohibetur. In beneficijs verò conferendis tempus eſt ſex menſium. *c. 2. de conceſſ. prabend.*

§. *Alia ſanè*

Decimo eligentes ſcienter indignum, ideſt improbum, aut

poſtulantes indignum, priuantur iure eligendi pro ea vice *c. cum Vinctorienſis, & d. c. ne pro defectu de elect. & c. quamquam de elect. in 6.* Et per triennium vt ab alijs eligi poſſint ſeipſos inhabiles reddunt *c. per inquiſitionem, & ibi gloſſ. in verb. ſe indignum, de electtion.* Quod intelligitur, ſi electio fuit perfecta, alioquin non *c. perpetuò de elect. in 6.* Et ratio eſt, quia qui indulget indigno, ad lapſum prouocat vniuerſos *can. eſt iniuſta 23. q. 4. in fin.* Et Conc. Trid. *ſeſſ. 7. cap. 3. de reformat.* inquit, omnes prouiſiones de indigno eſse irritandas. In dubio autem præſumitur ſcienter quis elegiſse indignum, cum teneretur eligens inquirere de moribus, & vita electi *c. innotuit de elect. & ibi gloſſ. in verb. ignorantiam*. Ignorantia verò poſſet probari iuramento, publica voce, & fama, & alijs probationibus, quas ponit Rebuff. *vbi ſupra*.

Idem intellige de Epiſcopo promouente indignum; Idem de nominante; Idem de confirmante indignum,

Sed dubitatur numquid electio facta de digno, prætermiſso digniori, valeat? Et dicitur quòd ſic, licet non ſine peccato fiat. Ita Gònzal. *ſup. 8. reg. Cancell. gloſſ. 4. n.* 128. qui *n.* 138. dicit aliud eſse in Epiſcopo, qui tenetur ex Conc. *ſeſſ. 24. cap.* 18. *de reform.* in collatione Parrochialium præuio examine eligere ſemper digniorem, quem ſi non eligit, collatio nulla eſt. Quod confirmatur *ex conſtit.* S. M. B. Pij Quinti *ſuper collat. Parroch. emanata anno* 1566. in qua habetur, quòd omnes prouiſiones contra dictam formam Concilij ſint nullæ, & ſi magis idoneus fuerit poſthabitus, poſſit appellari ad Metropolitanum, vel ſi ipſe Metropolitanus ſit eligens, poſſit appellari ad viciniorem, vel Sedis Apoſtolicæ delegatum, vel ad ipſam Sedem Apoſtolicam.

Ius autem eligendi, quo priuantur hi, qui ſcienter eligunt indignum, non ad Superiorem, ſed ad Papam immediatè deuoluitur, cùm quando elapſum eſt tempus electionis, ad Superiorem electio deuoluatur. Et ratio eſt, quia electio facta de indigno, eſt actus conſummatus à parte, & nil amplius remanet faciendum, ſecus quando ſolùm lapſum eſt tempus.

§. *Laicis*

Demum Laici, etiam ſi ſint Principes, eligere non poſſunt, nec prætextu conſuetudinis, aut pacti. Quod ampliatur etiam ſi Superior talem electionem confirmauerit, & etiam ſi eſſent ad-

miſſi ad coeligendum ſimul cum Clericis, quia electio facta à Laicis non tenet Abb. & alij *in c. quiſquis de elect.* Imò incurrunt etiam pœnam excommunicationis *can. ſi quis deinceps 16. queſt. 7.* Limitatur autem ſi eligerent ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ, quia concedente, vel etiam permittente Papa Laici eligere poſſunt. Abb. *vbi ſupr.* Poſſunt etiam Laici coadiuuare electionem. Patroni verò poſt electionem factam poſtulatur aſſenſus. Sed ſi Patronus eſt Clericus, in principio, quo patitur Eccleſiam fieri Collegiatam, poteſt ſibi reſeruare, & ſic paciſci Ius eligendi: Laicus verò non poteſt, cum omninò ſit inhabilis, vt notant DD. *in c. quanto de Iudic.*

§. *Oportet*

Ponitur in textu quas qualitates debeat habere Epiſcopus, quod habetur *ſeſſ. 2. & in pluribus alijs locis* Concilij Trid. Item quales debeant eſſe eius familiares *eadem ſeſſ. 2.* Item qualis debeat eſſe eius menſa, & ſuppellex *ſeſſ. 25. de reform. cap. 1.* Inter præcipua autem ponitur quòd debeat eſse litteris inſtructus; vnde ſi eſset nimis imperitus, poſset deponi, puta ſi neſciret Grammaticam. Quanta autem debeat eſse iſta ſcientia in Epiſcopo, ponit idem Conc. *ſeſſ. 22. cap. 2. de reform.* dum dicit quòd Epiſcopus tali ſcientia pollere debeat, vt muneris ſibi iniuncti neceſſitati ſatisfacere poſſit; ideoque quòd antea in Vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in Sac. Theologia, aut in Iure Canonico meritò ſit declaratus, aut publicæ alicuius Academiæ teſtimonio ad illud docendum oſtendatur idoneus. Alij quoque inferiores Epiſcopo debent habere ſcientiam Iuris Canonici, quia debent ſecundùm illud iudicare. Gonz. *ſup. 8. reg. gloſſ. 4. num. 68.* qui ait etiam quòd ſufficit, vt mediocrem ſcientiam habeant, nec requiratur ſcientia eminens, quam in profeſſione legali neminem habere affirmat. Eminens autem in ſcientia dicitur ille, qui ſine reuolutione librorum poteſt decidere omnes caſus: mediocris verò, qui reuoluendo libros decidere poteſt. Sed ſi ſit ſpes addiſcendi in futurum, minor quoque ſcientia ſufficit, vt idem Gonz. *vbi ſupr. à num. 68. ad num. 84.*

§. *Igitur*

Epiſcopus autem debet habere triginta annos completos *c. cum in cunctis, de elect. in fin.* ſed in alijs inferioribus dignitatibus, &

be-

beneficijs, etiam curam animarum habentibus ſufficit annum requiſitum attigiſse. Sic Diaconus ſi vigeſimum quintum annum attigit, promoueri poteſt ad Presbyteratum, vt *ibi* dicitur, & *in c. licet, de elect. in 6.* Præbendæ autem non ſunt conferendæ minoribus quatuordecim annis, qui ſint completi. Et regula eſt, quòd ſi ætas annorum ponatur in genetiuo, vel accuſatiuo, requiritur quòd ſint completi: ſi verò ponatur in ablatiuo ſufficit quòd ſint incepti. Bart. *in l. ſi cui legatur n. 1. ff. de legat.* 1.

§. *Neophitæ*

Demum Neophitæ non poſsunt promoueri ad Epiſcopatum, quia cum ſint noui in fide, non poſsunt eſse Magiſtri ceterorum.

De Poſtulatione.

TIT. VIII.

QVoniam inter illos, qui non poſsunt eligi, ſunt aliqui, qui poſsunt poſtulari, ideo ſequitur de poſtulatione.

Verbum poſtulo in Iure tres habet ſignificationes. Primo ſignificat petere; vt accipitur *hic*. Secundo ſignificat accuſare vt *in tit. de ſuſpect. Tutorib. vel Curatorib.* in Ciuil. Inſtit. Tertio ſignificat aduocare, vt *in tit. ff. de poſtuland.*

Poſtulatio de qua hic agitur, eſt eius, qui eligi non poteſt, in Prælatum concors Capituli facta petitio. Duplex autem eſt modus poſtulandi, ſolemnis, & non ſolemnis. Poſsunt autem poſtulantes vti pro arbitrio quo ex his duobus modis velint.

Solemnis fit per formam ſcrutinij, vel compromiſſi, vel inſpirationis. Et ferè omnia ſunt ſeruanda in poſtulatione, quæ in electione ſeruantur. Differunt tamen in aliquibus, quia in electione is vincit, qui à maiori, & ſaniori parte Capituli eligitur: ſed in poſtulatione ſi concurrat electus cum poſtulato, poſtulatus non vincit, niſi habeat duas partes Capituli ex tribus *c. ſcriptum, de election.* & ita tenet Curia, vt teſtatur Mandagott. *de elect. part. 1. cap.* 55. Si verò poſtulatus cum poſtulato concurrat, vincit poſtulatus à maiori parte. Differunt etiam, quia electus habet certum tempus, intra quod debet conſentire: poſtulatus autem non. Item differunt, quia per electionem initiatur ſpirituale matrimonium electi cum illa Eccleſia, ad quam eligitur: ſecus

autem in poſtulatione, quia poſtulantium conſenſus dirigitur in Superiorem ad quem ſpectat admittere poſtulatum; vnde ſequitur quòd poſtulantes antequam Papæ preſentent poſtulatum, poſſunt recedere à poſtulatione; quòd non habet locum in eligentibus. Videatur *gloſſ. hic in verbo, petitio.*

Non ſolemnis poſtulatio eſt, quando Canonici ſimul concordant, non ſeruata aliqua forma. Sed an poſtulatione admiſſa debeat ſequi electio? Et de Iure debet: ſed Curia Romana in poſtulatione ſolemni non admittit aliam electionem, ſed poſtulationis approbationem pro confirmatione habet, vt proſpiciatur vacantibus Eccleſijs, & euitetur circulus inutilis. Sed in poſtulatione non ſolemni debet ſequi electio. Mandagott. *vbi ſupr.*

Poſtulatio debet approbari à Papa in Epiſcopo ad aliam Eccleſiam tranſeunte. Item in corpore vitiato, & in omnibus alijs caſibus, in quibus ſolus Papa diſpenſat. Sed in alijs Dignitatibus perſonalibus, & inferioribus Epiſcopo adeundus eſt Epiſcopus, qui poteſt in illis diſpenſare. Idem Mandagott. *vbi ſupr.*

§. *Sciendum*

Regula eſt, quòd illi poſſunt poſtulari qui non poſſunt eligi propter aliquod impedimentum, quod tamen non ſit animi, vel corporis. Animi, vt eſt pupillus, furioſus &c. corporis, vt cæcus &c. & gloſſa hic addit, vel libertatis, vt ſeruus. Qui autem poſſunt poſtulari, enumerantur per eundem Mandagott. & inter ceteros poſſunt poſtulari qui habent defectum in ordinibus, vt eſt Laicus, vel qui habent defectum ſcientiæ, vel ætatis. Item qui ſunt debilitati aliquo membro, quod deformitatem generat. Item illegitimi. Bigami autem an poſſint poſtulari, videte gloſſ. *hic in verb. vitio* quæ inquit bigamiam eſſe defectum animi ob ſuſpicionem incontinentiæ, & ita bigamum poſtulari non poſſe: vel veriùs ſecundùm opinionem Bald. poſſe poſtulari, cùm Papa poſſit cum bigamo diſpenſare.

§. *Epiſcopus quoquè.*

Præterea poſtulari debet Epiſcopus prò altera Eccleſia, cùm non poſſit ſuam deſerere ſine licentia Papæ. Abbas tamen, & ceteri Prælati infra Epiſcopalem dignitatem conſtituti, licet videantur alligati proprijs Eccleſijs, nihilominus non eſt neceſſe, vt poſtu-

lentur: ſed poſsunt eligi ad alias dignitates; tamen non deſerant proprium Monaſterium ſine licentia legitimè impetrata.

De Confirmatione Electionis.

TIT. IX.

CVm electio confirmanda ſit, meritò ſequitur præſens tit. Confirmatio eſt iuris prius habiti corroboratio. Et confirmatio fit à Superiore, cum approbatio fiat à pari Dec. *in rubr. de confirm. vtil.* Et hodie electiones factæ ad aliquam dignitatem Eccleſiaſticam Monaſteriorum Conuentualium abſque Sedis Apoſtolicæ prouiſione, vel confirmatione, nullæ ſunt. Pius Quartus *conſtitut. 86.*

Confirmatio duplex eſt. Alterà in forma communi; & altera ex certa ſcientia.

In forma communi eſt, quando fit conditionaliter, non cognita cauſa, vt ſi dicatur, confirmamus electionem, quatenus de Iure valeat; vndè ſi non valet, non conualidatur. Hoc dicit Abb. *in c. 1. & in c. examinata de confirmat. vtil.*

Ex certa ſcientia fit, quando tenor rei confirmatæ exprimitur, vel quando apponitur clauſula, non obſtantibus quibuſcunque, vel quando ſecunda iuſſio emanauit. Quando autem abſolutè dicitur, confirmamus, intelligitur ex certa ſcientia. Dec. *vbi ſupr.* qui tamen diſtinguit, aut confirmatio fit cauſa cognita, & intelligitur ex certa ſcientia: aut non ita, & intelligitur in forma communi. Quæ autem, eſt in forma communi, non conualidat actum nullum: quæ verò eſt ex certa ſcientia, conualidat. Notatur *in c. 1. de tranſactionib.* Latè de his, & in quibus cauſis dentur confirmationes Mandoſ. *in ſuo tract. de Signat. Grat. in tit. Confirmationes.*

Differt autem confirmatio à gratia *Perinde valere*, quia confirmatio efficit, vt actus tunc valeat, quando confirmatur: ſed gratia *perinde valere*, trahitur retrò, & confirmat à prima die conceſſionis. Hoc autem reſcriptum; *perinde valere*, impetratur, quando Papa gratiam ſuam aliqua ex parte inualidam confirmat. Et in Beneficialibus non datur confirmatio, ſed gratia, *perinde valere*, Rebuff. *in ſua prax. benefic. in 2. part. de reſcripto, etiam, & perinde valere.*

Eſt autem adnotandum, quòd electus debet intra menſem com-

computandum à die præſentationis, & notitiæ electionis, conſentire, niſi legitima fuerit cauſa; quo caſu non currit tempus, vt gloſs. *hic*; alioquin amittit Ius quæſitum ſibi per electionem ipſo iure, quamuis ad cauthelam tutius eſset ferre ſententiam declaratoriam, vt notatur *in c. commiſſa, de electiõn. in 6.*

§. *Eadem Conſtitutione*

Electus autem poſt conſenſum præſtitum debet intrà duos menſes petere confirmationem à Superiore, niſi fuerit legitimè impeditus. Confirmare autem Abbates, & Priores ſibi ſubiectos non exemptos ad Epiſcopum ſpectat *c. ſi Abbatem de elect. in 6.* & confirmare Epiſcopum pertinet ad Archiepiſcopum, & Archiepiſcopum ad Primatem, vel Patriarcham *c. bona il 1. de elect.* nec poteſt Vicarius confirmare, niſi in conſtitutione Vicariatus ſpecialiter hoc exprimatur, ſicut nec poteſt ei committi conſecratio, niſi ipſe Vicarius ſit Epiſcopus. Poteſt tamen dari Vicario poteſtas committendi conſecrationem Epiſcopo. Rebuff. *vbi ſupr. in forma Vicariatus*. Exempti autem debent venire ad Sedem Apoſtolicam. Abb. *in c. 1. ne Prelat. vic. ſuas;* quamuis dicant aliqui, quòd etiam Abbates exempti ſint confirmandi per ſuos Superiores immediatos. Colligitur *ex c. cum Monaſterium, & c. cum dilectus, & d. c. bona, de elect.*

§. *Quamdiù*

Quòd ſi electus non ſit adhuc confirmatus, non poteſt res Eccleſiæ adminiſtrare, etiam ſub prætextu Procurationis, vel Oeconomatus. Quod ampliatur etiam in alijs beneficijs, quia adminiſtrans ante confirmationem dicitur intruſus, & redditur inhabilis ad idem beneficium, etiam ſequuta confirmatione. Ampliatur etiam in temporalibus, vt recipere cenſum, colligere fructus &c. ſed limitatur, quando confirmatio eſset petenda a Papa, & electus eſset valde remotus *c. nihil de elect.* Electus verò à Papa, & poteſt ſe ingerere, & habet ea, quæ ſunt Iuriſdictionis. Abb. *in c. tranſmiſſam, de elect. nu.* 3. vbi dicit hanc eſse communem opinionem.

§. *Petet*

Confirmatus debet à Sede Apoſtolica petere litteras confirma-

tionis ſuæ tenorem continentes. Sed poterunt etiam ipſi eligentes petere, vt colligitur *ex c. dudum il 2. de elect.* Iſtas antem litteras debet oſtendere eis, ad quos ea res pertinet, quia iſta eſt quædam qualitas extrinſeca, quæ non præſumitnr niſi probetnr *c. ſi fortè, vbi gloſſ. de electton. in 6.* Et ideo tonſuratus ſi eſt nominatus ad Beneficia, debet inſinuare litteras ſuæ tonſurationis. Rebuff. *in c. poſtulaſtis, de cleric. excomm. n. 191.* Amplia idem procedere, vt exhibeantnr litteræ conſecrationis, vel in Abbatibus litteræ benedictionis. Poteſt autem peti confirmatio etiam per procuratorem, ſi electus iuſto impedimento non poſsit venire ad Sedem Apoſtolicam, qui procurator debet eſse ſufficienter inſtructus *c. cupientes de elect. in 6.* & ſi cauſa eſt grauis. non tenetur conſtituere procuratorem *c. querelam, de procurat.* & interim non cadit à iure ſuo *ad tex. in c. quamuis de elect in 6.*

§. *Is autem*

Confirmatio non conceditur niſi cum cauſæ cognitione. Et confirmaturus de multis inquirere debet, vtrum bono zelo, vel malo fuerint moti eligentes. Item de meritis, ſeù ſufficientia electi, aċ de ſtudijs eligentium, & electionis proceſſu *c. cum nobis, de elect.* & hæc omnia debet diligenter diſcutere *gloſſ. in c. prouida, & ibi Archid. Io: Andr. & alij de elect. in 6.* aliàs peccat mortaliter confirmans indignum.

Si verò electus non fuerit confirmatus, incidit in infamiam facti; quia homines opinantur, quòd ex culpa electi electio non habuerit effectum. Sed in veritate ſi non confirmatur ob proceſsum malè fabricatum, non incurrit in infamiam *c. ſuper eo, de elect.*

§. *Quòd ſi fortè*

Si vota eligentium in duas ſe diuiſerint partes, præferendus eſt is, qui iudicio confirmatoris dignior eſt. Quòd ſi æqualiter fuerint digni, eſt locus gratificationi. Et dignior eſt qui aptior eſt ad munus, cui præficiendus eſt. Gonz. *ſup. 8. reg. Canc. gloſſ. 4. num.* 103. Idem dicitur de Inſtitutione, ſi patroni ſint diſcordes, & vnus vnum, alius alium præſentauerit.

§. *Et ſi vacante*

Si concurrat poſtulatus cum electo, præferendus eſt electus, niſi poſtu-

poſtulantium numerus eſſet duplo maior, vt *ſupr.* diximus. Si verò poſtulantes ignoranter indignum poſtulauerint, & numerus ipſorum ſit duplo maior, nec poſtulatio, nec electio valet. Si verò ſcienter, poſtulatio non tenet, ſed electio, licet eligentium numerus ſit duplo minor.

§. *Illud*

Quod ſi aliquis eſt contradictor, debet citari nominatim ad opponendum contra confirmationem faciendam de tali &c. Et ſi nemo appareat, debet fieri citatio per publicum edictum in foribus Eccleſiæ, in qua facta eſt electio, vt ſi quis velit opponere contra futuram confirmationem, compareat in tali loco, coram tali ſuperiore, tali die, & hora ad dicendum cauſam, quare confirmatio ſuper tali electo ſequi non debeat, etiam cum peremptorio termino &c. Quando autem contradictor eſt certus, ipſum non afficit citatio per edictum, ſed debet nominatim citari, vt *ſupr.* diximus.

§. *Sciant tamen*

Opponens autem ſi deficiat in probatione, non poteſt eum pœnitere, imò punitur tanquam calumniator *ad tex. in l. 1. ff. ad S. C. Turpil.* Et per triennium à beneficijs Eccleſiaſticis eſt ſuſpenſus, in quibus ſi propria auctoritate ſe immiſcuerit, caret eis ipſo iure *c. 1. §. fin. de elect. in 6.* niſi manifeſtiſſimis probationibus docuerit, ſe vitio calumniæ carere, vt ſi probaret ſe iuſto errore ductum fuiſſe, vt notatur *in l. tranſigere C. de tranſact.*

§. *De illo*

Suſcipiens ordines à Schiſmaticis ſcienter, etiam ſi abiurauerit ſchiſma, non poteſt eligi, nec cum eo diſpenſari. Limitatur quando ignoranter ſuſceperit, vt gloſſ. *hìc*. Cum eo autem, qui abiurauit ſchiſma, nec ſuſcepit ordines à ſchiſmaticis, vel ſuſcepit ignoranter, poteſt diſpenſari, & electio eſt confirmanda. Sed an Epiſcopus poſſit in hoc diſpenſare? Et videtur quòd ſic, *per tex. in can. vt conſtitueretur 50. diſt.* Sed gloſſ. vlt. *in c. 2. de ſchiſmat. in fin.* tenet contrarium, nempe quod ſolus Papa diſpenſat cum eo, qui ſcienter ſuſcepit ordines à ſchiſmatico; & hoc tenet etiam Abb. *in c. quia diligentia de elect.* Sed Dec. *ibi* tenet quòd

indi-

indiſtinctè Epiſcopus diſpenſat, quia Papà id ſibi non reſeruauit. Tenenda tamen videtur ſententia gloſſæ ſcilicet quod ſi ſcienter ſuſcepit, ſolus Papa diſpenſat: ſi verò ex ignorantia, niſi fuerit craſſa, & ſupina, etiam Epiſcopus diſpenſare poterit, vt in ſimili dicitur *in c. 1. & 2. de ordinat. ab Epiſc.* & etiam tenet Sylueſter *in verb.* ſchiſmaticus *num.* 5.

§. *Igitur*

Notandum eſt quod per electionem contrahitur ſpirituale coniugium cum Eccleſia, per confirmationem ratificatur, & confirmatus exercet ea, quæ ſunt Iuriſdictionis, non autem ea, quæ ſunt Ordinis: & per Conſecrationem conſummatur, quia conſecratus exercet etiam ea, quæ ordinis ſunt; & ideo ſequitur

De Conſecratione

TIT. X.

Conſecratio debet fieri intra tres menſes poſt electionem, niſi legitimum fuerit impedimentum; & hodiè per Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 2. de reform.* diſpoſitum eſt, quòd etiam Cardinales, qui Epiſcopatum habent, ſi munus Conſecrationis intra tres menſes non ſuſceperint, ad fructuum perceptorum reſtitutionem teneantur: & ſi infra totidem menſes id facere neglexerint, Eccleſijs ipſo iure ſint priuati. Et *in ſeſſ. 7. cap. 9. de reformat.* dicitur quod prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

§. *Ordinationi*

In Conſecratione debent intereſſe Epiſcopi ad minus tres; Beatus enim Iacobus Apoſtolus, vt dicitur *in textu* fuit ordinatus à Petro, Ioanne, & altero Iacobo, prout habetur *in Conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis lib. 3. cap. 20. & lib. 8. cap. 2.*

Sed quæritur. Si Iacobus iam erat Epiſcopus ex eo quia erat Apoſtolus, quomodò poſtea fuit ordinatus?

Reſpondet Gloſſ. *in can. fin. 66. diſt.* quinque modis. Primo quòd Apoſtoli erant ſimplices Sacerdotes, ſed poterant ordinare in Epiſcopum, ſicut Moyſes conſecrauit Aaron. Secundò quòd

antea Apoſtoli erant conſecrati inuiſibiliter, poſtea viſibiliter. Tertio quod ipſum non ordinauerunt: ſed tantummodo introduxerunt formam conſecrandi. Quartò quod non in Epiſcopum, ſed Archiepiſcopum conſecrauerunt. Quinto quod ipſum non ordinauerunt, ſed intronizauerunt ad adminiſtrationem. Primæ tres reſponſiones videntur meliores.

§. *Euocandi*

Ad conſecrationem faciendam debet Metropolitanus conuocare ſuos Suffraganeos, & ſi aliquis conuenire non poſſit, debet ſui præſentiam facere per epiſtolam. Eſt autem aduertendum quod Conſecratio facienda extra Romanam Curiam debet fieri in Eccleſia, ad quam promoti fuerint, vel ſaltem in Prouincia, ſi commodè fieri poteſt Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 2. *de reform.*

§. *Quòd ſi*

Quod ſi Metropolitanus iuſta cauſa impeditus non poſſit ipſe conſecrare aliquem ex ſuis Suffraganeis, poterit alicui ex Coepiſcopis ſuis vices ſuas demandare; & rectè dicitur ex Coepiſcopis, quia non habentibus dignitatem Epiſcopalem Conſecratio demandari non poteſt.

§. *Illud quæſitum*

Si in Prouincia non ſint Epiſcopi Comprouinciales, quos poſſit Metropolitanus conuocare, tunc debet conuocare Epiſcopos vicinæ Prouinciæ, qui ſi conuenire nollent, poſſunt cogi à Metropolitano, vel à Papa. Vel ſi vnus tantùm Epiſcopus in Prouincia ſit ſuperſtes, iſte poterit cogere vicinioris Prouinciæ Epiſcopos per *tex. in can. fin.* 65. *diſt.* in quo ponitur quid ſit agendum ex Conc. Sardicenſi in caſu propoſito.

§. *Congregatis*

Conſecratio debet fieri die Dominico hora tertia lucis, quia hac hora Spiritus Sanctus deſcendit, vt habetur *in Act. Apoſt. cap.* 1. & dicitur *in can. nocte de conſecr. diſt.* 1. Modus verò in Conſecratione ſeruandus ponitur *hic in tex.*

De

De Receptione, & Auctoritate Pallij

TIT. XI.

FActa Conſecratione Archiepiſcopus, & Patriarcha debent petere Pallium, quod plenitudinem poteſtatis deſignat, ſine quo non poſſunt conſecrare Epiſcopos. Eſt autem Pallium veſtimentum rotundum ad modum torquis, albi, ſeù pallidi coloris, & habet quatuor Cruces nigras. Prima eſt ante pectus. Secunda ſuper brachio dextero. Tertia ſuper brachio ſiniſtro. Quarta retrò ad collum. Quæ Cruces ſignificant mortificationem vitiorum, prout eſſe debet in Prælato, vt inquit Abb. *in rub. de auct. & vſu pall.*

Pallium ſic definitur in textu. Eſt Metropolitanorum inſigne ornamentum, quod ſumitur de corpore(ideſt de Altari) S. Petri, paſtoralis officij plenitudinem deſignans *c. ſignificaſti*, vbi notatur, *de elect.* Petitur autem à Papa in Conſiſtorio, & petitiones pro palliandis ſolent fieri ab Aduocatis Conſiſtorialibus, præſente ipſo palliando, vel eius procuratore. Quamuis autem in textu dicatur, *Metropolitanorum*, tamen eo vtuntur etiam Primates, & Patriarchæ. In Curia verò nemo poteſt vti Pallio, nec deferre Crucem ante ſe, niſi Papa.

§. *Cuius receptio*

Si quis voluerit aliquid palliando obijcere, debet prius iurare de calumnia, & inſcribere ſe ad pœnam talionis, ideſt ad parem pœnam, ſeù ad pœnam extraordinariam, quòd intra duos menſes obiecta probabit; alioquin procedetur ad traditionem pallij, & ipſe punietur.

§. *Sed eo*

Archiepiſcopi non poſſunt vti Pallio niſi certis diebus, & inter Miſſarum ſolemnia, & in ſua Prouincia tantùm, niſi id habeant ex priuilegio, vel niſi permittat Archiepiſcopus alterius Prouinciæ, vel niſi id habeat ex conſuetudine, quæ ſit legitimè præſcripta *c. ex tuarum, & ibi gloſſ. de auct. & vſu pall.* Cum autem Pallium non egrediatur perſonam, cui conceditur, non poterit

alteri commodari ad vtendum, ſed ſolùm ad videndum. Abb. *in c. ad hoc eod. tit.* & cum eo ſepeliendus erit. Sed si ad alium Archiepiſcopatum transferatur, debet nouum Pallium habere vt *in c. bonæ il 2. in fin. vbi gloſſ. de poſtulat. Prælat.* & mortuus debet ſepeliri cum ambobus Pallijs, prout tenent communiter DD. *in d. c. ad hoc*.

De Vita, & Honeſtate Prælatorum

TIT. XII.

Satis dictum eſt de modo creandi Epiſcopos, videndum nunc eſt de ipſorum, & ceterorum Clericorum vita, & conuerſatione; licet enim hæc rubr. ſit inſcripta, *de vita, & honeſtate Prælatorum*, nihilominus etiam de ceteris Clericis intelligitur; vnde in Decretali ponitur tit. generalior, *de vita, & honeſtate Clericorum*.

Qualis autem debeat eſſe vita, & honeſtas Prælatorum, habetur in pluribus locis Conc. Trid, vt *ſeſſ. 5. cap. 2. de reform. ſeſſ. 24. de reform. per plura capita*. Et vt paucis complectamur omnia, Prælatus debet eſſe ſine crimine, non conuerſans cum impijs, in corrigendo ſeueram lenitatem adhibere debet, non tolerans malos, orationi vacans, hoſpitalis, ſobrius, pudicus, non lucri cupidus, habitu decenti incedens tam in Eccleſia, quàm extra, debet eſſe peritus litterarum, & negotiorum, non tamen negotiator, & hodie acquiſita per Clericum ex illicita negotiatione applicantur Cameræ Apoſtolicæ tanquam ſpolia, vt *in conſtit. 19.* Pij. IV. Nauarr. *in tract. de ſpol. Cleric. §. 7. num. 4. & 5.*

Præterea Epiſcopus debet prædicare Euangelium ſuis ſubditis, & ſi eſt impeditus, debet hoc facere per alios, & debet compellere Archipresbyteros, & Plebanos, vt ipſi quoque prædicent, & ſermonis facilitate vitia reprehendant, & ad bonos mores hortentur. Et ſi id ipſi non fecerint, poterit Epiſcopus ſubtrahere illis fructus beneficiorum, & alijs eos aſſignare, qui id agant, quouſque illi officium ſuum impleant. Quòd ſi ſint Eccleſiæ nullius Diœceſis, & Abbates, ſeù Superiores earum fuerint negligentes, poterit Epiſcopus intra cuius Diœceſim eſt Eccleſia, vel Monaſterium, compellere eos tanquam Delegatus Sedis Apoſtolicæ Conc. *ſeſſ. 5. de reform. cap. 2.* Non debet autem Epiſcopus permittere, vt prædicent hi Regulares, qui ſunt extra clauſuram, vel

qui

qui ab obedientia ſuorum Superiorum receſſerunt.

Demum Epiſcopus curare debet, vt omnes Clerici per ſe, & non per ſubſtitutos diuina expleant officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti aſſiſtant, & inſeruiant, atque in Chorum de more pſallendo Dei nomen reuerenter, diſtinctè, ac deuotè laudent, vt veſtitu decenti vtantur, & ſuper hoc eſt *Conſtitutio 91.* Sixti Quinti, per quam ſtatuit, vt Clerici, etiam in minoribus ordinibus conſtituti, & Clericali charactere inſigniti, & illi, qui beneficia, vel penſiones obtinent, etiam coniugati, quamuis exempti, tonſuram, & habitum Clericalem, ſcilicet veſtes talares, & ſimiles militiæ ſuæ conuenientes deferant, & in futurum eis tantùm beneficia conferantur, & inobedientibus pœnam amiſſionis beneficiorum imponit, & eorum beneficia tamquam vacantia impetrari poſſe, & penſiones ex ſe extinctas eſſe declarat, & ita iudicari mandat.

Sic etiam curare debet Epiſcopus, vt Clerici ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, luſibusque abſtineant, atque ea morum integritate polleant, vt meritò Eccleſiæ Senatus dici poſsint, Conc. *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 12.

Qualis autem debeat eſſe familia Prælatorum, & eorum ſupellex, ponitur pluribus in locis eiuſdem Concilij, vt ſupra innuimus.

De Officio Archidiaconi

TIT. XIII.

DIctum eſt de Epiſcopis. Verùm quia poſt Epiſcopum primum locum obtinet Archidiaconus, meritò ſequitur præſens tit.

Sed quæritur, quarè ſi ordo Presbyteratus eſt prior, & dignior Diaconatu, non ponatur primo loco de Officio Archipresbyteri, & deinde de officio Archidiaconi?

Reſpondent communiter DD. quòd licet Archidiaconus ſit inferior in ordine, eſt tamen maior in dignitate, quia Archidiaconus exercet Iuriſdictionem fori contentioſi, & Archipresbyter ſolùm Iuriſdictionem fori pœnitentialis, quæ dicitur Iuriſdictio voluntaria. Maior autem abſolutè loquendo eſt Iuriſdictio contentioſa, quàm voluntaria. Contentioſa eſt quæ exercetur inter partes contradicentes: voluntaria inter partes volentes. In hoc

ta-

tamen ſunt ſeruandæ conſuetudines Eccleſiarum; vnde ſi in aliqua Eccleſia eſt conſuetudo, vt Archipresbyter præferatur, ille præferri debet. Abb. *in c.* 1. *de offic. Archipresbyt.* Archidiaconus verò dicitur primus Diaconus; vnde debet eſſe in Diaconatus ordine conſtitutus *c.* 1. *de ætat. & qualit.*

Eſt autem Archidiaconus Iudex ordinarius, faciens diuerſum Tribunal à Tribunali Epiſcopi: & conſtitutus eſt Vicarius Epiſcopi à lege datus, ad illa munera exequenda, quæ propter maiores occupationes non poteſt Epiſcopus exercere. Et eius officium eſt audire iurgia, & controuerſias Clericorum, & illas terminare, etiam imponendo pœnas. Et propterea appellatur oculus Epiſcopi Gloſſ. *in c. fin. de Cleric. ægrot. can. Diaconi il* 1. *& il* 2. *diſt.* 93. quia per eum videt, & corrigit Epiſcopus vitia ſuorum ſubditorum. Deſumptum eſt hoc nomen, oculi, à Babilonijs, quorum Satrapæ oculi Regis nuncupabantur, vt refert Philoſtratus *in vita Apollonij*.

Archidiaconus autem debet deferre ad Epiſcopum ardua; Sic cauſæ matrimoniales non poſsunt per Archidiaconum terminari, quia ſolus Epiſcopus id poteſt. Ita ſtatuit Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 20.

De Officio Archipresbyteri

TIT. XIV.

ARchipresbyter eſt Vicarius Epiſcopi conſtitutus à lege ad ea, quæ ſunt voluntariæ Iuriſdictionis, vt diximus. Dicitur autem Archipresbyter primus Presbyter, cuius munus eſt ſubleuare Epiſcopum circa ſpiritualia. Duæ autem ſunt Archipresbyterorum ſpecies; quidam enim ſunt vrbani, & quidam exteri.

Vrbani ſunt qui in vrbe, ideſt in ipſa Eccleſia Cathedrali reſident, ſubleuando onus Epiſcopi, vt officium incohando, ideſt ſolemne: celebrando, ideſt Miſsam ſolemnem in feſtiuitatibus ſolemnioribus: Item benedicendo populo abſente Epiſcopo, ſcilicet in Matutinis, quando legi debent Lectiones. Gloſſ. *hic*. Et in ceteris prouidendo, quæ pertinent ad ſacerdotale miniſterium: non tamen poſsunt exercere ea, quæ pertinent ad Epiſcopum, quatenus Epiſcopus eſt, vt conſecrare, ordinare, conficere Chriſma &c.

Exteri ſunt, qui circa ſingulas Plebes conſtituti ſunt, diuina miniſtrantes, & Sacramenta; & præſunt alijs Presbyteris illius Plebis, quos monere debent, vt ſua impleant officia, alioquin denunciare Epiſcopo;& licet ſuis Plebibus præſint,ſicut Epiſcopus præeſt Matrici Eccleſiæ, nihil tamen contra decretum ſui Præſulis ordinare poſſunt, & ardua Epiſcopo deferre debent, vt ſi quæ viderint corrigenda &c.

Dicitur autem quòd ſicut Archidiaconus debet eſſe in Diaconatus ordine conſtitutus, ita Archipresbyter debet eſſe in Preſbyteratus, aut talis ætatis, vt infra annum poſſit promoueri, & promoueatur, alioquin beneficium amittit *c. 1. de ætat. & qual.* Quod procedit etiam in omnibus, qui habent Eccleſiam Parrochialem. Rebuff. *in ſua prax. benefic. tit. de non promot. infr. ann.* vbi ponit plures ampliationes, & limitationes. Epiſcopus verò quando eligitur, debet eſſe ſaltem in Subdiaconatu. Archipreſbyter verò, Abbas, Decanus, & Præpoſitus debent eſſe Presbyteri *d. c. 1.* In alijs ſufficit prima tonſura; vnde quilibet poterit habere beneficia, etiam perſonalem reſidentiam requirentia, & etiam curam animarum habentia, ſi habeat primam tonſuram, dummodò ſit in ea ætate, vt poſsit infr. annum promoueri ad ordinem adnexum illi beneficio. Idem Rebuff. *vbi ſupr. tit. de requiſit. ad collat.*

De Officio Vicarij.

TIT. XV.

VIſum eſt de Vicarijs Prælatorum conſtitutis à lege, facientibus diuerſum Tribunal à Prælatis, erat videndum de Vicarijs, quos Prælati ſibi met conſtituunt, qui faciunt idem Tribunal cum ipſis; & quamuis de Iure ciuili nemo poſsit facere ſibi Vicarium, *vt in auth. vt null. Iudic. lic. haber. loc. ſeruator.* (licet hodie conſuetudo aliter ſe habeat) tamen de Iure Canonico permiſſum eſt, vt poſsint facere ſibi Vicarios, quia maior eſt occupatio Eccleſiaſticorum, nempè in regimine animarum: & poſſunt etiam Parochi in neceſsitate conſtituere ſibi Vicarium. Vnde Vicariorum plures ſunt ſpecies.

Primò enim alij ſunt Vicarij, quos Prælati ſibimet conſtituunt, qui ſunt amouibiles. Et iſtorum alij ſunt vrbani, alij exteri, ſeù foranei. Vicarius vrbanus eſt Vicarius generalis reſidens

dens in Curia Epiſcopali, in quem omnium cauſarum cognitio transfertur. Foraneus eſt, qui conſtituitur ſuper aliqua cauſa extra Ciuitatem emergenti, vt ibi accedens de ea cognoſcere poſsit.

Alia eſt ſpecies eorum, qui dicuntur Vicarij perpetui, & ſunt qui conſtituuntur in Eccleſijs Titularibus Cardinalium, vt curam animarum pro illis gerant, & iſti dicuntur Curati, qui cogendi ſunt ad ſubeundum per ſeipſos, & non per ſubſtitutos ea munera, ad quæ tenentur: tolerandos tamen eſſe, vt per ſubſtitutos ſuppleant in illis tantùm caſibus, in quibus expreſsis verbis, Canonum, Decretorum, & Concilij permiſſum eſt, vt Vicarij per coadiutores ſubſtitutos poſsint officio ſuo fungi.

Alij ſunt Vicarij Apoſtolici, qui conſtituuntur à Papa in locum Epiſcopi. qui non poteſt intereſſe, vt quia ſit inſanus, vel ſenio confectus, vel accuſatus de crimine graui. Solent etiam conſtitui Eccleſia vacante, ſi in longum protrahatur prouiſio noui Paſtoris.

Alij ſunt Vicarij Capitulares, conſtituti à Capitulo; quia mandat Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 16. de reform.* vt mortuo Epiſcopo Capitulum eligat Vicarium, qui dicitur Capitularis, & durat tempore ſedis vacantis, & non vltra: imò conſtituto à Papa Vicario Apoſtolico ſede vacante, ceſſat ipſe Vicarius Capitularis.

Formam conſtituendi ſibi Vicarium ponit Rebuff. *vbi ſupr. in tit. de Vicar. Epiſc.* & *in tit. forma Vicariat.* in qua ponit omnes facultates, quæ tribuuntur Vicario.

Sed an poſſit Epiſcopus cogi, vt Vicarium ſibi conſtituat? Videte *gloſſ. in princ. huius tit. in verbo, non poteſt*, quæ tenet partem negatiuam.

In conſtitutione autem Vicariatus plura requiruntur. Primo ſcriptura conſtitutionis, in qua adſint teſtes; alioquin cum ſigno Secretarij tantùm eſſet ſcriptura priuata, quæ non probaret. Secundo requiritur quod conſtitutio ſit generalis. Tertio quòd conſtituatur idoneus. Quarto debet conſtitui Clericus, quia Laicus non poteſt eſſe Vicarius Epiſcopi, & ideo debet incedere in habitu Clericali.

Demum Epiſcopus non poteſt retractare factum ſui Vicarij, quia factum à Vicario intelligitur factum ab ipſo Epiſcopo; Vnde ſi appelletur à Vicario, non appellatur ad Epiſcopum, ſed ad Archiepiſcopum; non ita quando appellatur à ſententia Archidiaconi, quia tunc appellatur ad Epiſcopum, ex quo Archidiaconus facit diuerſum Tribunal ab Epiſcopo. Et Archidiaconus

ex

ex eo quia eſt conſtitutus Vicarius à lege, eſt perpetuus; Vnde mortuo Epiſcopo, non expirat officium; & dignitas Archidiaconi, ſicut expirat officium Vicarij Generalis. Gloſſ. *fin. in Clem. fin. de Procurat. Abb. in c.* 1. *ne ſed. vacant.* Et probatur ex Conc. Trid. quatenus vult, vt mortuo Epiſcopo, eligatur à Capitulo Vicarius Capitularis, vt ſupr. diximus. Quod ſignum eſt Vicarium Generalem Epiſcopi iam ceſſaſſe.

De Coadiutore.

TIT. XVI.

AD ſubleuandam Prælatorum ſollicitudinem conſtituuntur Vicarij, de quibus ſupra viſum eſt. Modò de Coadiutoribus dicendum eſt, qui dantur Prælatis, regere impeditis ſine culpa ſua, ſed propter impedimentum aliquod facti, ideſt corporis, vel animi. v.g. quia ſit effectus cæcus, vel aliquo graui morbo detineatur, vel ſit ſenio confectus, vel efficiatur inſanus, vel quid ſimile, in quibus caſibus Prælatus priuari non debet ſua dignitate, cum nemo ſine culpa ſua puniendus ſit *c. ſine culpa de reg. iur. in 6.* ſed ne Populus ſuo deſtituatur regimine, datur Coadiutor. Quod ſi coadiutus ſit Epiſcopus, Coadiutor etiam debet eſſe Epiſcopus, & ſic de ceteris inferioribus, vt Coadiutor habeat ſemper eumdem ordinem Coadiuti, ad hoc vt illius munera ſubire poſſit; non tamen Coadiutor debet ſedere in locum Coadiuti, ſed in vltimo loco.

Sciendum autem eſt, quod Coadiutoriæ quædam ſunt ſimplices, quæ durant ſolùm ad vitam Coadiuti: & quædam ſunt cum futura ſucceſſione, quæ dantur ſolùm ex cauſa, & ſolùm à Papa, qui dat cum conſenſu Coadiuti, ſi tamen in Coadiutore omnes qualitates concurrant, quæ à Iure, & à Conc. Trid. requiruntur in Epiſcopis, & Prælatis, aliàs conceſſiones ſubreptitiæ cenſentur. Conc. *ſeſſ.* 25. *cap.* 7. *de reformat.*

Coadiutores dantur etiam ab Epiſcopis alijs Beneficiatis inferioribus, & vtriſque de Eccleſiæ facultatibus ſubueniendum eſt, vt *tot. tit. de Cleric. ægrot. in Decretal.* Sed ſi fructus vtrique non ſufficiant, debent fructus aſſignari Coadiutori, & Coadiuto prouidebit Epiſcopus ex eleemoſinis, vel alia ratione. Et Conc. *ſeſſ.* 21. *cap.* 6. *de reform.* diſponit, quòd ſi Rectores Eccleſiarum Parochialium ſint illitterati, ſeù imperiti, Epiſcopi tanquam Sedis

Apoſtolicæ delegati eiſdem, dummodo ſint honeſtæ vitæ, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputent, partemque fructuum illis pro ſufficienti victu aſſignare, vel aliter prouidere poſſint, quacunque appellatione, vel exemptione remota: eos vero, qui turpiter, & ſcandaloſè viuunt, poſtquàm præmoniti fuerint, coerceant, & caſtigent, & ſi adhuc incorrigibiles in ſua nequitia perſeuerent, eos beneficijs priuent iuxta ſacrorum Canonum conſtitutiones, exemptione quacumque & appellatione remota, & illa alijs conferendi liberam habeant facultatem.

De Corepiſcoporum vſu ſublato.

TIT. XVII.

ERant olim Corepiſcopi, ideſt quidam Presbyteri, quibus credebantur res temporales Eccleſiæ, præſertim res præcipuæ, & cura pauperum, & eleemoſinarum, & aliqua miniſteria Epiſcopalia, ſcilicet vt conferrent ordines minores, inter quos antiquis temporibus erat etiam Subdiaconatus *can. erubeſcant* 32. *diſt. c. miramur, de ſeru. non ordin.* Sed quia poſtea eorum ambitione creſcente gerebant ſe pro Epiſcopis, ſuoque officio non contenti, audebant maiores ordines, & omnia Epiſcopalia exercere, & aliquando Conſecrationem, quæ Epiſcoporum eſt propria, extorquebant, ideo fuit eorum vſus ab Eccleſia damnatus, & reiectus *can. quamuis, & can. Corepiſcopi* 68. *diſt.* Ita Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. *ſub num.* 22. Non enim poterat vna Sponſa duos habere Sponſos, prout videbatur contingere poſitis iſtis Corepiſcopis: ſicut per Conc. Trident. ſtatuitur, quod vnus Epiſcopus non habeat plures Eccleſias, niſi æqualiter ſint vnitæ, quia non conuenit vnum Sponſum plures Sponſas habere.

De Tranſlatione.

TIT. XVIII.

COniugium ſpirituale initiatur per electionem, ratificatur per confirmationem, & per conſecrationem conſummatur; de quibus omnibus iam dictum eſt. Verùm quia contingit aliquando diſſolui, non ſolùm per mortem Epiſcopi, ſed etiam illo viuen-

uante, quod tribus modis accidere poteſt, ſcilicet per tranſlationem, per renunciationem, & per degradationem, id circò de his modò videndum eſt. Et primò de Tranſlatione.

Tranſlatio eſt de Sede in Sedem canonicè facta mutatio, quæ fit ex duplici capite, aut vtilitatis, aut neceſſitatis.

Propter vtilitatem fit, cùm creditur, quòd Epiſcopus vnius Eccleſiæ magis poſsit proficere in altera Eccleſia. Sic; Diuus Petrus tranſtulit ſe ab Antiochena ad Romanam Eccleſiam ob maximam vtilitatem, quam inde prouenturam præuidebat; ex quo datur exemplum alijs, vt pari ratione licita ſit translatio, quando maioris eſt ſpes vtilitatis *can. mutationes 7. quæſt. 1.*

Propter neceſsitatem, vt ſi vrgeat metus hoſtium &c. qui ſi poſtea ceſsat, tenetur ad ſuam priorem redire Eccleſiam *can. paſtoralis, & can. temporis eadem 7. quæſt. 1.*

§. *Sciendum*

Transferre Epiſcopos ad ſolum Papam pertinet, non ſolum ſi Epiſcopus conſecratus ſit: verùm etiam ſi tantùm electus, & confirmatus; quia ſpirituale coniugium dicitur ratum per confirmationem, & proptetea diſsolui non poteſt ſine Pontificis auctoritate. Et ſi quis propria auctoritate ad aliam Eccleſiam ſe tranſtulerit, priuabitur vtraque, & habita, & ambita, ne præſit eis quos contempſit, nec ijs, quos per auaritiam, vel ambitionem concupiuit.

Sed dubitatur quid ſi quis bono zelo ductus in aliam Eccleſiam ſe tranſtulerit, an iſta pœna puniatur? Et videbatur dicendum quòd non, per tex. *in c. ſanè, & c. præced. de Regular.* vbi bono zelo etiam non petita licentia poteſt quis in aliam Religionem ſtrictiorem ſe conferre, quia vbi ſpiritus Dei eſt, ibi & libertas eſt. Contrarium tamen dicitur in caſu noſtro; nam non dicitur deſerere Religionem qui in ſtrictiorem tranſit, cùm votum mutet in melius: ſecus in Epiſcopo alligato propriæ Eccleſiæ per coniugium ſpirituale, iam conſummatum; habemus enim regulam quòd beneficia Eccleſiaſtica non poſsunt ſine inſtitutione Canonica obtineri *c. beneficia, de reg. iur. in 6.* An autem priuetur ipſo iure, vel præcedere debeat ſententia? Et Gloſs. *hic* putat verius eſse, quòd præcedat ſententia.

Translatio autem Eccleſiarum inferiorum pertinet ad Epiſcopos. Et Conc. Trid. *ſeſſ. 21. cap. 7. de reform.* diſponit, quòd Epiſcopi tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegati transferre poſsint

beneficia ſimplicia, etiam Iuriſpatronatus ex Eccleſijs, quæ vetuſtate, vel aliàs collapſæ ſint, & ob eorum inopiam nequeant reſtaurari, vocatis ijs, quorum intereſt, in matrices, aut in alias Eccleſias locorum eorundem, ſeù viciniorum arbitrio ſuo.

§. *Non abſimilis*

Clerici inferiores propria auctoritate beneficia permutantes, illa amittunt, nec permutationes beneficiorum fieri poſsunt ſine beneplacito Sedis Apoſtolicæ, propter pactiones, & concordias, quæ plerumque inducunt ſimoniam, cùm ſint circà ſpiritualia, vel ſpiritualibus adnexa. Vnde non debet fieri tractatus vllus, niſi cùm clauſula, ſaluo, & reſeruato in omnibus beneplacito Sedis Apoſtolicæ, per quòd purgantur omnes ſuſpiciones ſimoniæ. Quòd ſi partes exæquantur permutationes priuſquam obtineant beneplacitum Apoſtolicum, nullæ ſunt. Nauarr. *in ſuo Manual. cap.* 23. *n.* 108. *in fin.* Et permutationes, quæ fiunt de æquale ad inæquale beneficium, reducendo ad æqualitatem per reſeruationem penſionis, non poſsunt fieri ab Ordinarijs, ſed ſolùm à Papa id impetratur in Signatura Gratiæ. Mandoſ. *in tract. de Signat. Grat. tit. permutationes*. Imò nec reſignatio coram Ordinarijs fieri poteſt, quæ conditionalis ſit, ſcilicet in fauorem alterius. Poteſt tamen Epiſcopus conferre beneficium ex cauſa permutationis, quæ ſit ſimplex, nulla reſeruatione penſionis, vel nulla alia concordia appoſita, ex qua poſsit eſse ſuſpicio ſimoniæ. Gonz. *ſup.* 8. *reg. Cancell. gloſſ.* 14. *num.* 31. *& ſeqq.*

§. *Subuentum*

Facta concordia inter duos permutantes, ſi vnus renunciauit ſuo beneficio ad fauorem alterius, & alter poſtea ſuo renunciare noluerit, conceditur ex benignitate Iuris, vt prior regredi poſſit ad beneficium reſignatum. Et regreſſus eſt reditio ad beneficium ceſſum, vel dimiſſum, vel illius ius in quoſdam euentus. Regreſſus autem conceditur ſolùm à Papa, etiam ad fauorem illius, qui reſignauit beneficium ſub certa penſione, quæ ſi non ſoluatur, poſſit habere regreſſum, & ingreſſum ad ſuum beneficium, illiuſque corporalem poſseſſionem per ſe, ſeù per alios eius nomine propria auctoritate liberè apprehendere, etiam ſi moriatur Beneficiatus, ad fauorem cuius reſignauit, vel etiam ſi is alteri beneficium

tium illud reſignauerit. Mandoſ, *in præd. tract. de Sign. Grat. tit. Regreſſus*.

§. *Et generaliter*

Quòd ſi facta ſit renunciatio beneficij ex cauſa permutationis, non poteſt Collator illius beneficij vacantis per ceſſionem illud alteri conferre, quàm ei, ad cuius fauorem facta eſt illa renunciatio ex cauſa permutationis; ſicut neque ille, qui habet expectatiuam primi Beneficij vacaturi, poteſt illud beneficium acceptare; quia gratia expectatiuæ non ſe extendit ad beneficium renunciatum conditionaliter. Ex quo colligitur quòd permutatio fit per modum ceſſionis, & ceſſio fit in manibus illius, ad quem vacantis illius beneficij collatio pertinet.

De Renunciatione.

TIT. XIX.

SEquitur de renunciatione, per quam pariter diſsoluitur ſpirituale coniugium.

Renunciatio eſt proprij iuris facta refutatio. Et quamuis propriè renunciatio ſit Iuris quærendi ex cauſa de futuro: tamen hic latè ponitur etiam Iuris quæſiti. Iuris quærendi eſt Iuris de futuro, vt renunciare hereditati ſibi relictæ ſub conditione, aut hereditati Patris viuentis *c. quamuis, de pact. in 6.* Gloſſ. *in l. 1. C. de pact. in verb. te filio verſ. ſed pactum valet*, per tex. *in l. & heredi §. penult. ff. de pact.* ab eadem gloſſ. cit. Iuris quæſiti eſt Iuris de præſenti, quæ propriè dicitur habitio pro derelicto *l. 1. ff. pro derelict.* Largè verò dicitur etiam renunciatio. Repudiatio autem dicitur Iuris delati, ideſt quando ſtat per nos acceptare *l. delata ff. de verb. ſignif.*

Renunciatio beneficij duplex eſt, alia ſimplex, alia conditionalis. Simplex, & pura eſt, quoties quis purè renunciat ſuo beneficio in manibus Superioris. Conditionalis, quæ etiam dicitur confidentialis eſt, quando quis renunciat ſub conditione, nempe ad fauorem alterius. Iſta autem duplex eſt, alia licita, alia illicita. Licita eſt quando quis renunciat ſub conditione vt conferatur alteri digno. Illicita duplex eſt, alia ſimoniaca, alia non. Simoniaca eſt, cum quis renunciat cum pacto, vt ipſi detur ali-

quid

quid temporale, etiam penſio. Cauthela autem eſt, vt fiant tales renunciationes in manibus Papæ cum clauſula, reſeruato in omnibus pactis beneplacito Apoſtolico, quia Papa per ſuum conſenſum purgat omnem ſuſpicionem ſimoniæ, vt ſupr. diximus *in tit. præced.* Illicita non ſimoniaca eſt quando fit renunciatio ad fauorem indigni Nauarr. *in ſuo Manual. cap.* 27. *num.* 100. Appellatur autem confidentia, quia confidit renuncians quòd collator non alteri conferet, quàm ei, ad cuius fauorem fit renunciatio.

Renunciatio autem debet fieri ex cauſa. Et cauſa multiplex eſt. Prima conſcientia criminis. Secunda debilitas corporis. Tertia defectus ſcientiæ. Quarta malitia plebis. Quinta graue ſcandalum. Sexta irregularitas perſonæ.

§. *Propter conſcientiam*

Conſcientia criminis non omnis intelligitur, ſed ſolùm illius, quod poſt factam pœnitentiam impedit exequutionem officij *c. niſi, eod. tit.* vt eſt simonia, falsitas litterarum Apoſtolicarum, hæresis, & quid simile, vt ponit Io: Andr. *ibi*.

§. *Non abſimilis*

Debilitas corporis intelligitur non quòd aliquis ſit ſenex: ſed quòd talis ſit infirmitas, vt impediat executionem officij *d.c. niſi*; & quamuis ſenectus ipſa ſit morbus, tamen de ſe non impedit, ex quo maturitas iudicij plurimùm poteſt prodeſſe.

§. *Propter defectum*

Defectus ſcientiæ non intelligitur eminentis, quæ ſecundùm Gonzal. non reperitur, vt diximns *ſupr. in tit. qui eliger. eligiue poſſ. §. oportet*: ſed mediocris, vel ſufficientis *d. c. niſi*, quæ dicitur, cum quis per reuolutionem librorum poteſt decidere caſus, ſed ex Conc. Trid. hodie requiritur quòd Epiſcopus ſit Doctor in Iure Canonico, vel Magiſter in Theologia, vel Licentiatus in aliqua Vniuerſitate, vt diximus *in eod. §. oportet*.

§, *Propter malitiam*

Malitia plebis intelligitur, vt quia Plebs ſit adeò duræ ceruicis, vt apud ipſam Prælatus amplius proficere non poſſit. Sic ſe-

ſecerunt Apoſtoli, qui Iudæis incredulis derelictis ſe conuerterunt ad Gentes *Act. cap.3.* & eſt *tex. in d. c. niſi*. Si tamen eſt aliqua ſpes proficiendi, illam non debet deſerere.

§. *Item pro graui ſcandalo*

Propter graue ſcandalum vitandum, cum aliter ſedari non poſſit, poteſt Prælatus cedere: imò aliquando cedere debet. Et ſi quis dicat quòd debemus pati potius ſcandalum, quam quòd veritas relinquatur vt *in c. qui ſcandalizauerit de reg. iur.* Reſpondetur, quòd aut veritas eſt de Iure diuino, vel naturali, & tunc relinquenda non eſt: aut eſt Iuris poſitiui, & ne veniat ſcandalum, debet omitti veritas. Sed quid ſi immineat ſcandalum ex altera parte Populi, ſi Prelatus cedat? Et tunc eſt potius tolerandum ſcandalum eorum, qui iuſtè mouentur, quàm ſcandalum perſecutorum. Io: Andr. *in d. c. niſi*.

§. *Item ob irregularitatem*

Etiam propter irregularitatem poteſt quis renunciare, vt *in eod. c. niſi*. Eſt autem irregularitas Canonicum impedimentum, per quod quis non poteſt ad ſuperiores ordines aſpirare, vel in proprio ordine miniſtrare. Et quamuis variæ ſint ſpecies irregularitatis, vt procedens ex delicto, item ex defectu corporis, item ex defectu perfectæ lenitatis &c. tamen *in hoc* §. ponitur de illa, quæ eſt ex defectu Sacramenti, & illa, quæ eſt ex defectu natalium.

Ex defectu Sacramenti eſt bigamia, quia in bigamo non datur illa ſimilitudo, quæ fuit in Chriſto Domino; nam Chriſtus vnicam habuit Sponſam, eamque Virginem, ſcilicet Eccleſiam in illo verò, qui habuit plures vxores virgines, & deindè à ſe cognitas, vel vnam cognitam prius ab alio, & deinde à ſe, non poteſt ſignificari tale ſacramentum *c. nobis, de bigam.*

Ex defectu natalium eſt illegitimus, qui tamen ſi laudabiliter impleuit officium ſuum, ſed non manifeſtauit impedimentum, ſciens illud, dum fuit promotus, & irregularitas eſt occulta, iniuncta ſibi competenti pœnitentia, poterit cum eo miſericorditer diſpenſari.

§. *Ceterum*

Non admittitur renunciatio ex cauſa euitandi laborem; otium enim

enim euitari debet; quod etiam præcipitur in Euangelio *Matth.* 20. quid hic ſtatis tota die otioſi? Vnde Hieronymus ait, fac ſemper aliquid boni operis, vt diabolus te inueniat occupatum, *can. nunquam, de conſecr. diſt.* 5.

§. *Accidit autem*

Epiſcopus, qui renunciauit ex Apoſtolica conceſſione, vt fieret Monachus, vel gratiâ humilitatis, vel gratiâ pœnitentiæ, non poterit amplius fieri Epiſcopus, aliusque in eius locum ſubſtitui debet; quamuis Monachus, qui non fuit Epiſcopus, poſsit fieri Epiſcopus *can. vos autem* 16. *quæſt.* 1.

§. *Ceterum ſpeciales*

Si verò Epiſcopus ſit effectus Monachus, quia contra ipſum erat maxima perſecutio, vel quia erat valetudinarius, ex quo non poterat proficere in Eccleſia, ceſſante poſtea perſecutione, vel corporis mala valetudine, poterit ad Epiſcopalem ſedem reſurgere.

§. *Idem Iuris eſt*

Idem dicitur de eo, qui renunciauit ob imperitiam litterarum, ſi deinde ingreſſus fuerit Monaſterium, & effectus doctus, poterit ad nouum Epiſcopatum aſſumi.

§. *Rurſus*

Dubitatur de eo, qui ſimoniacè eſt ordinatus Epiſcopus, ipſe tamen non eſt ſimoniacus, qui propterea debet renunciare, & in effectu renunciauit, ac effectus eſt Monachus, numquid poſſit ad Epiſcopatum reſurgere? Et videtur quòd ſic, ex quo aliorum delictum non debet illi nocere *c. non debet alteri, de reg. iur. in* 6. Tamen diſtinguitur, ad eamdem Eccleſiam non poterit, quia promotio illa fuit infecta *c. tanta, vbi notatur, de ſimonia*, neque diſpenſatiuè, quia cum ſimoniacis miſericordia non eſt adhibenda *can. erga ſimoniacos* 1. *quæſt.* 1. Ad aliam tamen Eccleſiam poterit promoueri. Secus ſi ipſe quoque fuerit ſimoniacus, quia tunc nullam poteſt habere ſpem amplius aſcendendi.

§. Ab-

§. *Abbas*

Abbas exemptus, & immediatè ſubiectus Papæ, non poterit renunciare, niſi de licentia Papæ: ſi verò eſt ſubiectus Epiſcopo, poterit cum eius licentia renunciare. Quod procedit in inferioribus dignitatibus, & beneficijs, vt apud illum debeat fieri renunciatio, ad quem ſpectat confirmatio; Vnde ſi renunciatio fiat in manibus Laici, non tenet. Videte declarationem gloſſæ *hic in verb. firmitatem*.

§. *De* R*omano*

Fuerat dubitatum numquid Papa poſſit renunciare Papatui? Et videbatur dicendum quòd non, quia non habet in terris Superiorem, in cuius manibus poſſit renunciare. Sed contrarium fuit deciſum per Cæleſtinum Quintum, qui renunciauit, & conſtituit poſſe Papam libere renunciare, cuius conſtitutio eſt regiſtrata *in c. 1. de renunc. in 6.* Et licet non habeat Superiorem in terris, eſt tamen Deus eius Superior, in cuius manibus renunciare dicitur. Fuerunt etiam alij Pontifices, qui renunciauerunt, quos enumerat Gonz. *ſup.* 8. *reg. Cancell. §.5. proemial. n.* 17. Facta autem renunciatione ſtatim expirant Regulæ Cancellariæ, quia par eſt Papam obijſſe, & renunciaſſe. Ita idem Gonz. *vbi ſupr. n.* 23.

§. *Poteſt*

Poteſt etiam fieri renunciatio per Procuratorem, qui ſi fuerit reuocatus antequam ceſſerit, ſed reuocationis notitiam non habuerit, tenet nihilominus ceſsio ab ipſo facta, ne videatur eluſus Superior, in cuius manibus fit renunciatio, niſi dolo alterius reuocatio illa non potuerit ad Procuratoris notitiam peruenire.

§. *Aliud Iuris eſt*

Qui impetrauit licentiam renunciandi, compellitur renunciare. Sciendum autem eſt quòd dimittere beneficium, non eſt renunciare. Is enim dimittit, qui aliud incompatibile eſt aſſecutus. Ad dimittendum autem dantur duo menſes poſt adeptam paci-

ficam poſſeſsionem ſecundi beneficij; quod tempus Papa poteſt prorogare. Et hoc tempus datur, ne Clericus, qui dimiſit primum, ſi poſtea careat ſecundo, mendicare cogatur, vt tradunt DD. *in c. commiſſa, & ibi gloſſ. de elect. in 6.*

De Depoſitione, ſeù Degradatione.

TIT. XX.

CVm ſpirituale coniugium diſſoluatur etiam per degradationem, ſeù depoſitionem, ideo ſubnectitur præſens tit.

Degradatio in Eccleſia inducta eſt ad ſimilitudinem degradationis militum armatæ militiæ, qui ob militaria crimina eijciebantur à militia, & exuebantur inſignibus, & veſtibus militararibus, ſed re vera videtur habuiſſe originem à Iure diuino, vt habetur in Exodo, & refertur *in c. 1. de homicid.* dum dicitur, ſi quis per induſtriam hominem occiderit, ab Altari meo euellas eum. Ita inquit Cherubin. *ad conſtit. 81. Clementis VIII.*

Degradatio autem eſt de gradu deiectio, per quam tamen non tollitur character ordinis impreſſus, nec degradatus rurſus fit laicus. Et ſi quis contrarium dixerit, eſt anathema Conc. Trid. *ſeſſ. 23. can. 4.*

§. *Eſt autem degradatio*

Degradatio duplex eſt, Verbalis, & Actualis.

Verbalis, quæ propriè dicitur depoſitio, eſt, quæ fit per ſententiam, aſſiſtente certo Epiſcoporum numero, qui numerus explicatur à gloſſ. *hic in verb. numero.* Sed hodie Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi poſſunt degradari ab Epiſcopo etiam ſine interuentu illius numeri Epiſcoporum: ſed ſufficit quòd ſint præſentes Abbates, & ceteri Prælati inferiores, qui ſint ſuæ Diœceſis, & bonis moribus inſtructi. Et hoc non ſolùm quando degradatio eſt facienda pro hæreſi, ſed etiam pro quocumque crimine capitali ad effectum tradendi eos Curiæ ſeculari puniendos Conc. *ſeſſ. 13. cap. 4. de reform.* Epiſcopi autem non poſſunt degradari, nec eorum cauſæ criminales poſſunt cognoſci, niſi apud Summ. Pont., quorum cauſa eſt inſtituta Congregatio ſuper negotijs Epiſcoporum Conc. *d. ſeſſ. 13. cap. 8. de reform.*

Actualis, ſiue ſolemnis degradatio eſt, quando non ſolùm fer-

tur

tur ſententia, ſed etiam detrahuntur veſtes, & ſingula inſignia ſui ordinis *c. 2. de pœn. in 6.*

§. *Clericus*

Degradatio fieri debet ſolùm in criminibus, in quibus hoc reperitur expreſsum, & ſolùm debet fieri ad effectum tradendi delinquentem Curiæ ſeculari, & præſente ſeculari Iudice facienda eſt, vt ea perfecta illi tradatur, pro quo Eccleſia intercedere debet precibus, vt non inferatur pœna mortis; & ſi Curia ſecularis propter illas preces ei pepercerit, non poteſt amplius in ſuo ordine miniſtrare, & ideo dicitur in ſuo ordine, quia character eſt indelebilis. vt diximus; quòd ſi ſe exercuerit, erit excommunicatus excommunicatione maiori, præuia tamen monitione Abb. *in c. 1. de Cleric. excomm. miniſtr.* Sed communiter Curia ſecularis non attendit illas preces Eccleſiæ ob publicam vtilitatem, ne ſcilicet delicta remaneant impunita.

De Sacerdotibus in inferiori gradu conſtitutis.

TIT. XXI.

DIctum eſt de Epiſcopis, qui ſunt Sacerdotes in altiori gradu conſtituti, erat videndum de Sacerdotibus in inferiori gradu conſtitutis, qui etiam Presbyteri vocantur. Talis autem Hierarchia eſt inſtituta à Deo, vt alibi diximus. Et ſi quis dixerit non eſſe in nouo Teſtamento Sacerdotium viſibile, vel externum: vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata dimittendi, ac retinendi: ſed officium tantùm eſſe, & nudum miniſterium prædicandi Euangelium, vel eos, qui non prædicant, prorſus non eſſe Sacerdotes, eſt anathema Conc. Trid. *ſeſſ. 23. can. 1.*

§. Et *non ineleganter*

Sic iure optimo Sacerdotum diuiſio facta eſt, vt quidam eſſent Superiores, & quidam inferiores. Superiores, Epiſcopi: Inferiores, ſimplices Sacerdotes, vtrique à Deo in Veteri Teſtamento, & in Nouo à Chriſto Domino inſtituti, vt dicitur in text. per vos videndo.

§. *Presbyterum*

Quidam volunt, & præcipuè Theologi, olim eundem fuiſſe Epiſcopum, ac Presbyterum, quia dicunt eumdem eſſe ordinem. Canoniſtæ verò contrarium tenent, vt alibi diximus. Nomen autem Presbyteri eſt genus, & ſignificat ſenem; vnde ſeniores, qui Epiſcopi fiebant, ex nomine generali Presbyteri etiam dicebantur. Sed ſtrictè hodie Presbyteri dicuntur Sacerdotes inferiores: latè verò veniunt omnes Clerici, vt colligitur *ex c. veſtra, de cohab. Cleric. & mulier. per totum.*

§. *Epiſcopi*

Presbyteri verò, quædam habent iure proprio ex vi ordinis, vt conficere Corpus Chriſti, quod poſſunt facere etiam præſente Epiſcopo, baptizare, inungere oleo ſanctificato, benedicere Populo, non tamen ſolemni benedictione. Item audire Confeſſiones, quamuis hoc eis ſuſpendatur, quouſque fuerint reperti idonei. Quædam verò habent ex permiſſione Epiſcopi, vt tempore extremæ neceſſitatis baptizatos ſacro chriſmate linire, ac Virgines Deo dicare. Quædam verò nullo modo poſſunt, etiam mandante Epiſcopo, vt conſecrare Eccleſias, ordinare Clericos, Sacrum Chriſma conficere, reconciliare publicè pœnitentes &c. quia iſta requirunt dignitatem, & poteſtatem Epiſcopalem. Et ſi quis dixerit Epiſcopos, non habere poteſtatem confirmandi, ordinandi &c. vel eam, quam habent, eſſe communem cum Presbyteris, eſt anathema Conc. *d. ſeſſ.* 23. *can.* 7.

An autem poteſtas excommunicandi poſſit tranſire in non Epiſcopos, & etiam in meros laicos? Et Gloſſ. *hic in verb. ſolis Epiſcopis*, dicit, quòd ex diſpenſatione Papæ poteſt.

De ijs, qui in Sacris ſunt conſtituti.

TIT. XXII.

SAcri Ordines non dicuntur ſacri, quia alij non ſint ſacri: ſed quia in iſtis eſt adnexum votum caſtitatis, non vt ſubſtantiale, ſed vt accidentale ex ſtatuto Eccleſiæ: & ſunt verè Sacra-

men-

menta gratiam conferentia ex opere operato. Ita Nauarr. *in Manual. cap. 22. num. 18.*

Sacri autem Ordines præter Sacerdotium, ſunt Diaconatus, & Subdiaconatus, qui non ſunt dandi niſi ijs, qui probè verſati ſunt in Minoribus Ordinibus, ac de omnibus benè inſtructi, quæ conueniunt in exercendo ordine, quem ſuſcipiunt. Conc. *d. ſeſſ. 23. cap. 13. de reformat.*

Diaconus autem debet Epiſcopo prædicanti, & Sacerdoti celebranti in omnibus aſſiſtere, & Euangelium Populo annunciare. Baptizare autem, vel Euchariſtiam miniſtrare præſente Epiſcopo, aut Presbytero non poteſt, niſi iuſſus fuerit: illis verò abſentibus, ſi neceſſitas vrgeat, poteſt.

Ad Subdiaconum verò ſpectat Calicem, & Patenam ad Altare deferre, & Diacono tradere, eique miniſtrare. Similiter vrceolum, & aquam, mantile, & manutergium tenere. Præterea Epiſcopo, Presbytero, & Diacono pro lauandis ante Altare manibus aquam præbere.

Olim autem Subdiaconatus non connumerabatur inter ordines ſacros: poſtea verò cæptum eſt connumerari, & illi etiam continentia eſt imperata, vt non poſſint Subdiaconi vxorem ducere. Et propter eamdem rationem, quia ſcilicet connumeratur inter ordines Sacros, poteſt hodie Subdiaconus eligi in Epiſcopum.

§. *Sicut autem*

Ponitur in hoc tex. ætas, quam debet habere Diaconus, & Subdiaconus, ſcilicet, quòd Subdiaconus ſit in decimo octauo anno, & Diaconus in vigeſimo. Sed hic textus hodie eſt correctus per Conc. *d. ſeſſ. 23. cap. 12. de reform.* quia ad Subdiaconatum requiritur ætas vigintiduorum annorum: ad Diaconatum vigintitrium, & ad Presbyteratum vigintiquinque ſed ſufficit quod annus ſit inceptus, licet non ſit completus. Ad minores verò ordines ſufficit exceſſiſſe infantiam, ideſt ſeptimum annum, quia Conc. in hoc nihil innouauit. Nemo autem poteſt poſt vltimum ordinem minorem ſuſceptum ad primum ſacrum ordinem promoueri, niſi poſt annum: & deinde à Subdiaconatu ad Diaconatum, niſi poſt alium annum, dummodo neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ Iudicio Epiſcopi aliud non expoſcat. Conc. *vbi ſupr. cap. 13. de reform.* Diſpenſare autem circa ætatem ſolus Papa poteſt Gloſſ. *in c. cum in cunctis, de elect.* vbi Abb. & alij.

De Iis, qui in Minoribus Ordinibus ſunt conſtituti.

TIT. XXIII.

ORdines minores ſunt quatuor ſecundùm Theologos: ſed ſecundùm Canoniſtas ſunt quinque, nempè Accolythus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius, & Cantor, ſeù Pſalmiſta. Prima verò tonſura non eſt ordo, ſed diſpoſitio ad ordines. Item ſecundùm Canoniſtas ordines ſunt nouem, connumerando Epiſcopatum, & Cantorium: ſed ſecundùm Theologos ſunt tantùm ſeptem, quia ipſi non ponunt Cantoriam inter ordines, neque ponunt Epiſcopatum ordinem diſtinctum à Pesbyteratu, vt aliàs diximus.

Accolythus eſt is, ad quem ſpectat præparatio luminum in Eccleſia, ex quo nomen habet.

Exorciſta eſt qui exorciſmos memoriæ mandare debet, & manus ſuas ſuper Oenergumenos, & cathecumenos exorcizandos imponere.

Lector eſt qui lectiones in Matutinis debet pronunciare, & quæ Prophetæ vaticinati ſunt, populo prædicare, ideſt legendo annunciare, vt explicat gloſſ. *hìc*.

Oſtiarius eſt qui habet claues Eccleſiæ ad claudendum, & aperiendum Eccleſiam, & cuſtodire debet, quæ ſunt intra, & extra, fideles recipere, & infideles, ac excommunicatos repellere.

Cantor, ſeù Pſalmiſta eſt, qui habet officium cantandi, quod à ſolo Presbytero ſuſcipit ſine licentia Epiſcopi, ex quo non videtur inter ordines connumerari: ſed ſolum eſſe officium.

Circa ætatem verò requiſitam ad primam tonſuram, & ordines minores Concilium Trid. nihil innouauit; & ſic ſeruatur quod à ſacris canonibus determinatum eſt, ſcilicet quòd ſufficit exceſſiſſe infantiam, ideſt ſeptennium, vt diximus. Ad beneficium autem ſimplex obtinendum ſufficit attigiſſe annum decimumquartum. Et ad obtinendam dignitatem non curatam in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia requiritur ætas vigintiduorum annorum, qui ſint completi.

§. Horum

Eſt autem differentia inter minores, & maiores ordines, quia

maio-

maiores habent imperatam continentiam, vt nunquam poſſit vxor duci: minores verò non ita; ſed exiſtentes in minoribus ſi vxorem ducant, matrimonium eſt validum: non poſſunt tamen ad ſacros ordines promoueri, neque ad Eccleſiaſticas Dignitates, & adminiſtrationes: imò ipſo iure priuantur omnibus Beneficijs Eccleſiaſticis; quamuis Papa poſſit diſpenſare, vt Clericus vxoratus beneficia retineat, & frequenter ad penſiones diſpenſat.

Communia tam maiorum, quàm minorum Ordinum.

TIT. XXIV.

VIſum eſt de particularibus officijs ſingulorum Ordinum tam ſacrorum, quàm minorum. Verum quia quædam ſunt communia tam maiorum, quàm minorum, ideo ſubnectitur præſens tit.

Ex cuius principio eſt adnotandum quòd exiſtentes in minoribus debent præſtare obedientiam, & reuerentiam illis, qui exiſtunt in maioribus: & exiſtentes in maioribus debent diligere, & docere exiſtentes in minoribus cum omni charitate.

§. *Item ſub grauis*

Quando eſt facienda ordinatio, Ordinatores, ideſt Epiſcopi debent ordinandos inſtruere, & non aliter ordinare, quàm habito præcedenti ſcrutinio, ſeu examine de vita, & moribus, de patria, ætate, & natalibus ordinandi Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *de reform.* & de decenti doctrina, vt *ibi* diſponitur, nempe quòd prima tonſura non conferatur niſi Chriſmate confirmatis, & illis, qui fidei rudimenta, & legere, & ſcribere ſciant. Minores verò ordines illis, qui intelligunt linguam latinam, vt *in eadem ſeſſ. cap.* 5. *&* 11. Maiores autem conferantur illis, qui benè verſati ſunt in minoribus, & in his benè inſtructi. Presbyteratus verò concedatur ei, qui docere poſſit Populum ea, quæ ad ſalutem ſcire neceſſe eſt, vt *in eadem ſeſſ. cap.* 14. nec aliter ſunt promouendi, quia magis expedit Eccleſiæ habere paucos Clericos bonos, quàm multos malos.

§. *Quòd*

§. *Quòd &*

Sicut in ordinatione debet præcedere examen, ita etiam in collatione beneficiorum. Per relationem autem Examinatorum renunciantium vnum ex approbatis idoneum quoad ſcientiam tantùm: & quoad mores, & vitam reijciendum ad Vicarium Epiſcopi, non eſt ſatiſfactum decreto Conc. *ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de reformat. verſic. Peracto*. Sed relatio Examinatorum debet eſſe circa omnia requiſita, vt ibi diſponitur. Semel autem examinatus ad beneficia, promotus ad aliud ſimile, non eſt iterum examinandus. Ita ſeruatur in Curia, vt teſtatur Gonz, *ſup.*8. *reg. Cancell. gloſſ.* 4. *n.*88. Et Cherubin. *ad conſtit.*7. *Benedicti XII.*

§. *Ipſi verò*

Examinatores, & alij, quibus committitur cura examinandi, & ſcrutandi de vita, & moribus &c. non debent indignum, & minus idoneum, aut non examinatum præſentare Epiſcopo ad ordines, ſeù beneficia; & quamuis hic dicatur de maioribus ordinibus, idem tamen de minoribus intelligitur, vt per gloſſ. *hìc.* & multo minus debent per vitium ſimoniæ vendere Spiritum Sanctum. Et qui contrarium fecerint, ſunt priuandi omni dignitate Eccleſiaſtica, & deponendi, ac ipſo Iure erunt ſuſpenſi *c. qui alium de ſimon. & can. reperiuntur* 1. *quæſt.* 1.

§. *Igitur*

Examen eſt peragendum intra tres dies continuos præcedentes ad ordinationem, & demum Sabatho qui probari ſunt, præſentari debent Epiſcopo, vt ordinentur. Non poſſunt autem omnes ordines quibuslibet temporibus conferri, quia diebus Dominicis, & alijs feſtiuis vnum, aut duos ad minores ordines licebit promouere: ſed ad Sacros non niſi in quatuor temporibus, aut in Sabatho ſancto, vel in Sabatho ante Dominicam Paſſionis, quod dicitur, *Sitientes. c. de eo autem, de temporib. ordinat* Papa autem omnibus temporibus poteſt ordinare, quia cum determinatio temporum circa ordines ſit inducta de Iure poſitiuo, non adſtringit Romanum Pontificem Abb. *in d. c. de eo autem*. Qui autem vult ordinari extra dicta tempora, debet id impetrare à Papa, quia ad ipſum ſpectat remittere interſtitia,

po-

Poteſt autem aliquando, ex cauſa etiam Epiſcopus, vt habetur in Conc. *ſeſſ.* 23. *cap.* 11. 13. *&* 14. *de reformat.* Quæ facultas remittendi interſtitia Epiſcopis competens ex cauſis comprehenſis in dd. locis Conc. tranſit in Vicarium Sede Epiſcopali vacante. Interſtitia autem ſunt illud ſpatium temporis, quòd debet elabi intra vnum, & alium ordinem; annus enim interlabi debet in ſuſceptione ordinis ſacri; qui annus non intelligitur naturalis, ſed Eccleſiaſticus; & ita qui ad Subdiaconatus ordinem promoti fuerunt in quatuor temporibus Quadrageſimæ, poſſunt anno ſequenti ad Diaconatum promoueri eiſdem quatuor temporibus Quadrageſimæ, licet annus naturalis integrè tunc elapſus non fuerit, eo quia illo anno Paſchatis feſtum celebretur celeriùs, quàm anno antecedenti.

§. *Sed nec vno*

Vno die, aut duobus continuato ieiunio non poteſt quis ad duos ſacros ordines promoueri; & qui ita ordinauerit ſuſpenditur arbitrio Superioris. Continuatum Ieiunium dicitur, dies Veneris, & Sabathi. Item die Sabathi, & Dominicæ ante prandium.

§. *Diuerſum*

Omnes autem minores ordines poſſunt vnica die conferri; niſi in contrarium ſit conſuetudo, vt inquit gloſſ. *hic*.

§. *Per ſaltum*

Promotus per ſaltum, ideſt non ſeruato ordine præfato, poteſt cum eo diſpenſari repetito ordine prætermiſſo.

Quid verò ſi quis nullum habens ordinem promoueatur ad Sacerdotium, an recipiat ipſum ordinem Presbyteratus? Et hoc eſt controuerſum, vt per gloſſ. *hic in verb. repetit.* Verius tamen videtur eſſe quòd illum recipiat, ſed etiam alij ordines dandi ſunt; quòd eſt ſecundùm litteram noſtri textus. Imò & Laicus etiam recipit ordinem Sacerdotis, ſecundùm diſtinctionem gloſſæ *in can. ſollicitudo* 52. *diſt. in verb. Subdiaconatus*, vbi dicitur quòd Laicus recipit ordinem Sacerdotis, quia character imprimitur, dummodo ſit baptizatus, & conferatur in forma Eccle-

ſiæ ab eo, qui habet poteſtatem &c. Videatur omninò iſta glosſa.

§. *Quod ſi furtiuè*

Qui furtiuè Sacros ordines ſuſcepit, ſi hoc fecerit contra prohibitionem ſui Prælati, non poteſt fieri Sacerdos, niſi prius ſit effectus Monachus: ſecus ſi non contra prohibitionem. Et Pius Secundus *conſtit. lata* 15. *Kal. Decembr.* 1461. diſpoſuit, quod malè promotus, vel extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſque dimiſſorijs, ab executione ſui ordinis ſuſpendatur: & præſumens durante ſuſpenſione in ordinibus miniſtrare, eo ipſo in irregularitatem incurrat, & priuari poſſit beneficijs. Quod non habet locum in ordinibus minoribus. Sed ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reform.* ſecus eſt, quia ordinatus in minoribus ſine dimiſſorijs ſui Prælati eſt ſuſpenſus ipſo iure ab executione ordinum ſuſceptorum, nec gaudet priuilegio fori. Ita Cherub. *ad d. conſtit. Pij Secundi*.

§. *Quod ſi is*

Non ordinatus immiſcens ſe diuinis nunquam poterit ordinari, & abijcendus eſt; quod verbum, *abijciendus*, trla importat. Primo excommunicationem. Secundo priuationem beneficiorum. Tertio depoſitionem. Abb. *in c.* 1. *de Cleric. excommun. miniſtr.*

§. *De eo*

Cum Baptiſmus ſit ianua omnium Sacramentorum, non baptizatus nullum ordinem recipit, & ſi fuerit ordinatus de facto, cum nullum characterem receperit, ſi dignus eſt ordinari debet poſt Baptiſmum ſuſceptum.

§. *Illud*

Epiſcopus, qui renunciauit loco tantùm, poteſt omnes ordines conferre: ſi verò renunciauit etiam Dignitati, vt quia ſit effectus Monachus, non poteſt conferre niſi ordines minores. Abbates verò regulares, qui habent facultatem conferendi primam tonſuram, & minores ordines Regularibus ſibi ſubiectis, non poſſunt conferre illos ſecularibus, etiam habentibus litteras dimiſſorias

à ſuis

à ſuis Ordinarijs : nec poſsunt concedere litteras dimiſſorias Clericis ſecularibus ſuæ Iuriſdictionis, vt ab alijs ordinentur, puta quando haberent caſtra, & alia loca ſub dominio : ſed ſolùm poſſunt concedere illos pro Regularibus ſibi ſubiectis. Conc. Trid. *d. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform.*

§. *Sanè*

Qui verò ſcienter recipit ordines Sacros ab Epiſcopo, qui renunciauit Dignitati, repellitur ab executione ordinis, quia indignum ſe reddidit. Si tamen ignoranter receperit, poteſt cum eo per Papam diſpenſari niſi ignorantia eſſet craſſa, & ſupina, vt aduertit gloſſ. *hic in verb. craſſa*.

Qui promoueri non poſſunt.

TIT. XXV.

QVia ſunt quatuor cauſæ, quæ impediunt aliquem promoueri ad ordines, ideo ponitur præſens tit. Cauſæ autem ſunt ſubiectio, delictum commiſſum, ſuſpicio incontinentiæ, & læſio corporis.

§. *Ratione ſubiectionis*

Primo itaque ratione ſubiectionis impeditur quis promoueri, vt quia ſit ſeruus, licet Chriſtianus, quia turpe eſt Clericum alieno dominio eſſe ſubiectum, vt *tot. tit. de ſeru. non ordin.* Et non obſtat quòd apud Deum non ſit acceptio perſonarum *c. nouit. de Iudic.* quia hæc regula procedit in foro poli, non in foro fori.

§. *Si tamen*

Seruus autem ordinatus ſciente Domino, fit ingenuus; & ſufficit Domini taciturnitas. Sed ſi Dominus fuerit ignorans, & poſtea ſciens intra annum ipſum non reuocauerit, non poterit amplius reuocare.

§. *Quòd ſi*

Quid verò ſi aliquis ſit ſeruus Eccleſiæ, & manumittatur, vt ordinatus perpetuò ſeruiat Eccleſiæ in diuinis, an poſsit ſe transferre ad aliam Eccleſiam? Et Reſpondetur, ſi in manumiſſione fuerit appoſita conditio, vt ſeruiret eidem Eccleſiæ, & tunc non poterit ad aliam ſe transferre: ſi verò fuit dictum ſimpliciter, vt inſeruiat Eccleſiæ, & tunc poterit.

§. *Monachi*

Monàchi non poſſunt ordinari ſine licentia ſui Abbatis.

§. *Strictiùs*

Licentia verò generalis à Superiore conceſſa Religioſo ſibi ſubdito, vt poſſit conſentire electioni, vel prouiſioni cuilibet de ſe faciendæ, non valet, quia parat viam vitio ambitionis.

§. *Pari ratione*

Epiſcopus non poteſt ordinare Clericum alterius Diœc. ſine licentia proprij Epiſcopi, & ita requiruntur litteræ dimiſſoriæ ſui Prælati. Limitatur hoc, quando Clericus haberet beneficium aliquod in aliena diœceſi, quia tunc poterit ab Epiſcopo illius diœc. ordinari. Ita gloſſ. *hìc in verb. Superioris*. Ceterum dicitur in text. quòd ſi Epiſcopus ſit in remotis partibus, poſſit dare dimiſſorias eius Vicarius Generalis, uel ſede vacante, poſſit dare Capitulum. Hodie autem non poteſt dare Capitulum, niſi poſt lapſum anni à die obitus Epiſcopi niſi in caſu Conc, Trid. *ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de reform.* nempe ſi ordinandus fuerit arctatus. Et arctati dicuntur illi, qui ſunt in neceſſitate conſtituti, vt ordinentur ratione beneficij recepti; vel recipiendi, quod habeat adnexum ordinem: & ſi ſecùs factum fuerit, Capitulum ſubiacet Eccleſiaſtico interdicto, vt per Conc. *loc. cit.* vbi loquitur ſolùm de Capitulo: nihilominus hoc extenditur etiam ad Vicarium Sede vacante, vt communiter dicunt DD. Quòd ſi Epiſcopus fuerit impeditus cauſa ægritudinis, poterit concedere dimiſſorias ſubditis ſuis iam examinatis, & approbatis, vt ab alio Epiſcopo ordinentur. Ita Conc. *ſeſſ.* 23. *cap.* 3. *de reform.*

§. El

§. *Et hoc quidem*

Itali Epiſcopi non debent ordinare Vltramontanos, niſi de licentia Papæ, vel proprij Ordinarij, de cuius diœc. trahunt originem, vel in cuius diœc. habent beneficium; Quòd ſi ſecus fecerint, canonicis cenſuris erunt obnoxij, & ita totum id, quod dictum eſt in præced. §. non ſolùm habet locum inter Italos, ſed etiam inter exteros.

§. *Patrati*

Secundo impeditur quis ordinati ratione delicti commiſsi, quod ſit capitale v.g. homicidij *can. ſi Epiſcopus* 50. *diſt.* etiam ſi illud ſolùm præceperit, vel ſolùm conſilium dederit, quia fit irregularis, & impeditur promoueri, & promotus eſt depònendus, dicente Domino *in Exod. cap.* 21. Si quis per induſtriam hominem occiderit, ab Altari meo euellas eum *c.1.de homicid.* Sic prohibuit Deus ne Dauid ædificaret Templum, quia eſſet vir ſanguinum: ſed ædificaret Salomon, qui fuit Rex pacificus.

Irregularitas ſic definitur *in §. penult. infr. de ſuſpenſ.* Eſt Canonicum impedimentum ex facto, ſeù ex defectu proueniens, quo quis tam ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, quàm promotus in ijſdem miniſtrare prohibetur. Nauarr. autem *in Manual. cap.* 27. *num.* 191. aliam definitionem aſſignat, ſcilicet Irregularitas eſt impedimentum Canonicum directè impediens acceptionem ordinum Eccleſiaſticorum, aut aliquem vſum eorum, quatenus ſunt ordines, etiam poſt pœnitentiam peractam. Dicitur, *directè impediens*, quia excommunicatio, interdictum, & ſuſpenſio impediunt indirectè. Dicitur, *aliquem vſum*, ideſt quemcumque vſum, quia licet quis eſſet impeditus ex alio capite aliquo membro, puta manu, vel lingua, poſſet cetera munera exercere, vt *in c. 2. de Cleric. ægrotant.* & ſic propter irregularitatem impeditur quicunque vſus ordinum. Dicitur *etiam poſt pœnitentiam peractam*, quia poteſt quis abſolui à peccato manente irregularitate *can. vt conſtitueretur* 50. *diſt.*

Poteſt dubitari an irregularitas ſit de iure poſitiuo, an verò de Iure Diuino. Et licet videatur eſse de Iure Diuino per verba ſac. Scripturæ ſupr. adducta *Exod. cap.* 21. Tamen communis opinio eſt, quòd ſit de iure poſitiuo, vt dicunt Plouſus *in ſuo tract. de irregularit.* & Angel. *in ſua ſumm. in verb. irregularitas.*

In

In hac materia irregularitatis nonnullæ aſſignantur regulæ.

Prima eſt quod Irregularitas ex eo quòd eſt de Iure poſitiuo, vt modò diximus, ideo Papa poteſt diſpenſare in omni irregularitate.

Secunda eſt, quod non eſt Cenſura Eccleſiaſtica, & poteſt non eſse pœna.

Tertia quod non incurritur irregularitas ex ſola voluntate faciendi illud, ex quo irregularitas incurritur, & ideo non reperitur irregularitas mentalis.

Quarta in dubio in foro exteriori non eſt quis iudicandus irregularis: ſecus in foro interiori.

Quinta eſt quòd irregularis celebrans non incurrit aliam irregularitatem, quamuis peccet mortaliter.

Sexta poteſtas abſoluendi à peccatis non extenditur ad diſpenſationem irregularitatis.

Septima nemo fit irregularis, niſi in caſibus à Iure expreſsis.

Octaua eſt quòd Epiſcopus poteſt in qualibet irregularitate diſpenſare, deſcendente tamen ex delicto occulto, quod non ſit deductum in Iudicium, & quæ ex homicidio voluntario non ſit. Conc. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.*

Nona eſt quod nullum delictum occultum, niſi ſit in Iure expreſſum, inducit irregularitatem, præter homicidium. Ita Nauarr. *vbi ſupr. n. 192. & ſeq.* qui *n. 249. ex conſtit.* S.M. B. Pij Quinti *emanata anno* 1568. 3. *Kal. Septemb.* & ex mente aliorum DD. inquit, Clericos exercentes vitium nefandum licet occultè, incurrere pœnam irregularitatis ipſo iure.

§. *De eo itaque*

Ad intelligentiam huius §. & aliorium ſeqq. vſque ad §. *pœnitentes*, præmitto quòd homicidium aliud eſt animæ, quod dicitur ſpirituale, & inducitur per peccatum mortale: *c. penult. de furt.* Aliud eſt corporale, cum occiditur Corpus. Et hoc multiplex eſt, nempe voluntarium, neceſſarium, & fortuitum.

Voluntarium aliud eſt voluntarium, & deliberatum, cum quis animo deliberato alium interficit: aliud eſt ſimpliciter voluntarium, quod eſt vel licitum, vel illicitum. Licitum, vt occidendo hoſtem in bello, vel occidendo condemnatum, vel condemnando aliquem ad mortem ex legibus: Illicitum, vt occidendo aliquem in rixa.

Neceſſarium eſt, vt cum quis ad neceſſariam ſui corporis defenſio-

ſionem alium interficit *l. vt vim ff. de Iuſt. & iur.* non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, ideſt quòd ſit in neceſſitate vitæ conſtitutus, quòd faciat ſtatim, & incontinenti, & quod non fuerit cauſa rixæ, vt latè traditur per DD. *ibi*.

Fortuitum verò duplex eſt, cum culpa, & ſine culpa. Sine culpa, vt cum quis dabat operam rei licitæ v.g. pulſando campanas tempore debito, & cecidit malleus, & prætereuntem occidit; Cum culpa eſt, cum quis dabat operam rei illicitæ, puta pulſando campanas extra debitum tempus &c.

His præmiſſis eſt adnotandum, quòd irregularitas non incurritur propter homicidium neceſſarium, & merè fortuitum, ideſt nulla præcedente culpa: ſed pro alijs incurritur, etiam in voluntario licito, non ex delicto, ſed ex defectu perfectæ lenitatis; ex quo capite Clericus exercens militiam in bello iuſto, ſi ipſe occideret, vel deformaret hoſtem, fieret irregularis: non autem ſi ſolum adhortaretur ad victoriam. Sic etiam ſi quis daret operam rei licitæ, tamen ſit exceſſus, vt ſi ludi magiſter cauſa diſciplinæ nimis grauiter puerum percuſſerit, ex qua percuſſione mediatè, vel immediatè mortuus ſit, fit irregularis; nam nimia ſæuitia culpæ annumeratur *l. præceptoris ff. ad l. Aquil.* Infantes verò, furioſi, & dormientes, ſi aliquem mutilent, vel occidant, non fiunt irregulares, quia non imputatur eis homicidium,

Eſt pariter adnotandum, quòd ſi Clericus conqueratur de iniuria ſibi illata apud Iudicem, proteſtans quòd non intendit facere ad vindictam: ſed ſolùm ad iuſtitiam, & ad reprimendam illius audaciam, & citra pœnam ſanguinis, non fit irregularis, etiam ſi poſtea Iudex pœnam mortis ingerat delinquenti iuſtè iudicans. Sed vtrum ob miniſtrata indicia in cauſa Criminali inducatur irregularitas? Et dicitur quòd non; ſi ſententia non ſit mandata executioni, & reus ſolùm ſit miſſus in exilium Abb. *in c. ſententiam, ne Cleric. vel Monach. num.* 1. & Geminian. *in c. fin. num. 9. eod. tit. in 6.*

§. *Pœnitentes*

Publicè, aut ſolemniter pœnitentes non poſſunt promoueri *can. ex pœnitentibus diſt.* 50. ſed ſi neceſſitas vrgeat, poſſunt fieri Oſtiarij, & Lectores. Itē ſi ſit vtilitas quia neceſſitas & vtilitas inducunt diſpenſationem. Publicè autem pœnitentes erant illi, qui in capite ieiunij ſacco induti ſtabant ad fores Eccleſiæ, precantes illos, qui ingrediebantur, vt pro ipſis orarent *can. in capite* 50. *diſt.*

diſt. Quæ pœnitentia non inferebatur Clericis, neque Nobilibus, vt dicunt DD, *in d. can.* Hodie tamen hæc pœnitentia non eſt amplius in vſu.

§. *Iis illi*

Non poſſunt ſimiliter promoueri, qui negotijs, & officijs ſecularibus inſeruiunt, vt ſunt Tutores, Curatores, Procuratores, & ſimiles, quia poſſet eſſe quòd implicati in redditione rationum cogerentur carceribus macerari, vel fieri infames damnati de dolo ad tex. *in §. ſuſpectus autem Inſt. de ſuſpect. Tutorib.* Sed depoſitis negotijs, & officijs, redditiſque rationibus, & inculpata adminiſtratione deprehenſa poſſunt promoueri.

Item nec vſurarij, nec ſimoniaci, nec ſeditioſi, nec iniuriarum vltores poſſunt promoueri.

§. *De fure*

Fur, ideſt qui clam ſubripuit, poteſt promoueri ad ſacros ordines, dummodo iſta concurrant. Primo quòd ſpontè ſit confeſſus. Secundò quòd ſatiſfecerit ei, à quo ſubripuit. Tertio quòd egerit pœnitentiam. Quarto quòd alias ſit idoneus. Quinto quòd pro illo furto non ſit aſperſus infamia vel facti, vel iuris. Ita notat Abb. *in c. fin. de furt.*

§. *Sed & ſi nullum*

Quòd & ſi nullum ſit delictum, aliquando tamen impeditur quis promoueri, vt baptizatus in ægritudine, quia fides eius non ex voluntate, ſed ex neceſſitate videtur eſſe; vnde non poteſt fieri Presbyter, niſi poſtea eius fides experimentis fuerit confirmata, vel ſit, raritas eorum. qui ordinari debent.

§. *Scienter*

Scienter rebaptizatus non poteſt promoueri: ſecus ſi ignoranter. Sed vtrum ſi quis dubitaret an ſit baptizatus, poſſit rebaptizari? & DD. *in can. qui bis, de conſecr. diſt.* 4. diſtingunt. Aut eſt natus inter Chriſtianos ex Chriſtianis, & non poteſt rebaptizari, quia creditur baptizatus, & ſic debet deponere dubium. Aut natus eſt ex Chriſtianis inter Infideles, vel ex Infidelibus inter Chri-

Chriſtianos; & tunc ſi dubitet, poterit baptizari ſub conditione, ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c. Et ratio eſt quia in primo caſu dubium cenſetur omnino improbabile: in ſecundo verò caſu poteſt aliquando eſse probabile. De quo dubio probabili intelligitur tex. in c. *de quibus, de baptiſmo*.

§. *Presbyterorum*

Tertio impeditur quis promoueri ob ſuſpicionem incontinentiæ; Vnde filij illegitimi Presbyterorum promoueri non poſſunt, non ſolùm quia illegitimi ſunt: ſed etiam propter ſcandalum, quia repreſentant incontinenriam Patris, & quia plerumque filij ſolent eſſe imitatores vitiorum paternorum *l. quiſquis* §. 1. *C. ad l. Iul. maieſt.* Imò nec ſunt præbendandi in Eccleſia paterna, quia indecorum eſt, vt in Altaris miniſterio, in quo Vnigenitus Dei Filius pro ſalute humani generis æterno Patri immolatur, illegitimus filius impudico Patri miniſtret *c. cum decorem, de fil. presbyter. & ibi gloſſ. in verb. illegitimus*. Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de reform.* Sed ſi tales fiant Religioſi, & probè in Religione verſati fuerint, poſsunt promoueri etiam ad Epiſcopatum, ſed cum diſpenſatione, quia Epiſcopus debet eſse natus de legitimo matrimonio, vel ſaltem legitimatus per ſubſequens matrimonium *c. cum in cunctis in princ. & c. innotuit de elect.* Filij autem Presbyterorum nati ex legitimo matrimonio ante Sacerdotium paternum promoueri poſsunt *c. ad hæc de fil. presbyt.* ſicut etiam ſi ſint legitimi nati ex filio illegitimo, vt tenent communiter DD.

§. *Item repellendi*

Sic etiam non poſsunt ordinari bigami, neque illi qui viduam, vel eiectam, vel meretricem, vel ancillam vxorem duxerunt. Facit *tex. in c.* 1. *de bigam.*

Bigamia autem triplex eſt, vera, interpretatiua, & ſimilitudinaria.

Vera eſt, cum quis duas vxores habuit, ſiue virgines, ſiue corruptas, & ambas cognouit.

Interpretatiua eſt, cum quis vnam vxorem duxit ab alio cognitam, vel qui poſt adulterium ſuæ vxoris, illam cognouit.

Similitudinaria eſt, cum quis habuit vnam vxorem cognitam, poſt cuius mortem conſtitutus in Sacris aliam duxit de facto; nam licet hoc matrimonium non valeat, tamen quia per ipſum non

ſtetit quo minus fieret bigamus, fit bigamus. Summiſtæ omnes in verb. *Bigamia*.

Ratio autem quare bigamus, & etiam ille, qui bonum opus operatus eſt ducendo meretricem, non poſſit promoueri, eſt, quia in eo eſt defectus Sacramenti *c. nuper, & c. à nobis de bigam.* nempe Sacramentum cum ſit ſignificatio rei ſacræ, quæ res ſacra eſt, quod Chriſtus, vnicam habuit ſponſam, eamque Virginem, nempe Eccleſiam, hæc repreſentatio non eſt in illo, qui duas habuit vxores, vel vnam cognitam ab alio; & ſic deficit in hoc Sacramentum, quia non datur in hoc iſta repreſentatio, ſeù ſimilitudo, vt ſupr. diximus *in tit. de renunciat. in §. Item ob irregularitatem*.

Sed dicit textus quòd ſit bigamus qui ante baptiſmum vnam, & poſt baptiſmum aliam habuit vxorem: & tamen ſi quis ante baptiſmum commiſit homicidium, non eſt irregularis; Vnde videtur mirum, quòd plus poſſit delictum, quàm matrimonium:

Verùm Reſpondetur quòd baptiſmus extinguit delictum, & ſic etiam homicidium: non autem extinguit matrimonium contractum ante baptiſmum, quia non eſt delictum. Sed Gloſs. *hic in §. eſt autem, in verb. ſiue baptizatus* dicit quòd bigamia contrahitur poſt baptiſmum, ideſt per contractum ſecundi matrimonij: ſed homicidium fuit commiſſum ante baptiſmum; vnde per baptiſmum deletur.

Dubitatur etiam quarè ſi quis fornicatus eſt cum pluribus concubinis, vel cum pluribus meretricibus, non ſit bigamus, & poteſt promoueri: & tamen qui duas habuit vxores, vel vnam cognitam ab alio non poteſt promoueri, quia bigamus eſt; quo caſu videtur magis nocere caſtitas, quàm luxuria contra *text. in auth. de reſtitut. & ea quæ parit, in fin.*

Sed Reſpondetur quòd in bigamo eſt defectus Sacramenti, vt dictum eſt ſupr. qui defectus non eſt in eo, qui fornicatus eſt cum pluribus mulieribus, cum Sacramentum ſolùm ſit ex matrimonio, & ſic non eſt propter malum, ſed propter defectum illius repreſentationis &c.

§. *Cauenda*

Quarto demum prohibetur quis promoueri ex corporis vitio; *vt tot. tit. de corp. vitiat.* vt cum quis habet defectum alicuius membri viſibilis; vnde ſi vitium non ſit viſibile v.g. ſi quis careat teſtibus,

bus non inducitur irregularitas : nec verum eſt quod teneatur illos arefactos deferre in marſupuio, quia Nauarr. inquit eſse fabulam. Gloſs. *in cam in Eunuchis 55. d.ſt.* Quod verum eſt ſi ex neceſſitate quis fuit abſciſsus, puta propter infirmitatem; vnde qui voluntariè ſe abſciderunt, etiam cauſa caſtitatis, ſunt irregulares, non ex defectu membri præcisè, ſed ex delicto, quia ſe ipſos mutilauerunt.

Membrum autem dicitur quod habet particulare officium in corpore, vt eſt oculus, manus &c. Cartilago autem in auribus non eſt membrum, neque barba, neque papillæ in homine, quia ſunt ad ornamentum. Digitus etiam non eſt membrum, ſed pars membri, nempè manus. Vnde defectus in talibus membris, ſiue partibus, qui induceret deformitatem magnam, vel qui impediret officij executionem, induceret ſimiliter irregularitatem. Sic qui ſex, vel quatuor tantùm digitos haberet. Sic qui haberet magnam gibbam, vel naſum adeò longum, vt promoueret homines ad riſum. Sic qui eſset adeo claudus, vt non poſset ſine baculo ad Altare incedere, ſic qui caret oculo, & præcipuè oculo canonis, nempè ſiniſtro &c. Ceterum si quis iam eſt promotus, & incidit in aliquod ex his vitijs, poterit exercere officium illud, quod vitium non impedit v.g. si Sacerdos fiat cæcus, & non poſſit Miſsam celebrare, poterit tamen audire confeſſiones &c.

§. *Is quoquè*

Furioſus autem non ſolùm non poteſt ordinari, ſed nec ille, qui aliquando extitit furioſus. Sed si ſanus eſt promotus, & poſtea inſaniuit, non per hoc deponitur *can. quamuis 7. quæſt. 1.* quia affiictio non eſt addenda afflicto *c. ex parte tua, de Cleric. ægrotant.* Sed ei datur coadiutor *ad tex. in c. fin. eod. tit. de Cleric. ægrot.* Item ordinari non poteſt qui afflictione diabolica vexatus fuit, nec is, qui in ſcæna luſerit, ideſt qui hanc artem profeſsus eſt, vt ſunt hyſtriones, non si ſemel tantùm luſerit, vt per DD. *in c. ad honorem de auctor. & vſu pall.*

De Præbendis, & alijs Beneficijs

TIT. XXVI.

SVpra dictum eſt de Dignitatibus Eccleſiaſticis. Verùm quia iſtis Præbendæ ſunt adnexæ, ideo non ab re ſubnectitur huius materiæ tractatio.

Colligitur ex rubr. quòd Præbenda eſt Beneficium, propter illam dictionem, *& alijs*, quæ eſt repetitiua ſimilium per Iura allegata à Barboſ. *in ſuo tract. de Dictionib. in dict. Alius*.

Præbenda autem ſecundùm aliquos dicta eſt vel à præmio, quia datur tanquam præmium inſeruienti Eccleſiæ: vel à pretio, ex eo quod ſit pretium laboris, vel officij: vel à prædio, eo quod ſit prædium datum Clerico, vt ex eo fructus percipiat pro ſua ſubſtentatione; quæ omnia ponit Gonz. *ſup. 8. reg. Cancell. gloſſ. 5. §. 1. num. 20. cum duobus ſeqq.* Verior tamen deriuatio eſt ſecundùm alios, quòd dicatur à verbo, præbeo, & in plurali præbenda, præbendorum. Et erant ea, quæ dabantur Magiſtratibus in itinere quouſque peruenirent ad locum deſtinatum, veluti ſal, ligna &c. corruptè poſtea cæptum eſt dici, præbenda, præbendæ, in numero ſingulari vt pluribus in locis Decretalium, & ſignanter in tit. *de Conceſſione Præbendæ*.

Beneficium in genere ſic definitur, eſt beneuola actio, gaudium tribuens capienti. Beneficium autem Eccleſiaſticum eſt beneuola actio proueniens ex prouentibus Eccleſiaſticis perſonis Deo dicatis per habentem poteſtatem, & auctoritatem aſſignatis, gaudium tribuens capienti.

Plura autem requiruntur, vt dici poſſit Beneficium. Primo quòd ſit fundatum, & erectum Epiſcopi auctoritate. Secundo quòd habeat aliquid ſpiritualitatis adnexum, vt diuinum officium. Tertio quòd ſit conferendum Clerico. Quarto quòd non poſſit conferri niſi ab Eccleſiaſtica perſona. Quinto quòd ſit perpetuum, ideſt quòd non conferatur ad certum tempus, ſed quoad vixerit. Sexto quòd conferens non poſſit illud ſibi conferre. Videatur idem Gonz. *vbi ſup. d. gloſſ. 5. in princ. num. 6. & deinceps*.

Beneficia autem quædam ſunt ſimplicia, & quædam curata. Simplicia ſunt Prioratus rurales ſine cura actu, vel habitu: Præbendæ Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ: Altaria, ſeù Cappellaniæ

laniæ ordinatæ auctoritate Epiſcopi. Curata ſunt, quæ habent adnexam curam animarum, quæ eſt Sacramentorum adminiſtratio.

Porrò Beneficia quædam ſunt Dignitates: quædam Perſonatus: quædam nec Dignitates, nec Perſonatus, ſed ſimplex officium.

Dignitas eſt præminentia in Eccleſia cum Iuriſdictione, qui enim ceteris præeſt in Eccleſia, & exceſſus in ea corrigere poteſt, & Capitulum congregare, Dignitatem habere dicitur.

Perſonatus eſt præeminentia ſine Iuriſdictione; qui enim ſolùm alijs præcedendi Ius habet, non Dignitatem, ſed Perſonatum habere dicitur.

Officium eſt præeminentia cum adminiſtratione, qui enim præcedendi ius habet cum aliquo onere ſibi iniuncto, officium habere dicitur. Gonz. *vbi ſupr.* §.11. *gloſſ.*5.

§. *Præbenda*

Præbenda eſt ius percipiendi redditus Eccleſiaſticos tanquam vni de Collegio competens, ex canonia procedens. Differt autem Canonia, à præbenda, tanquam cauſa à ſuo cauſato; Canonia enim eſt ius percipiendi præbendam, ex eo quòd inter Canonicos quis receptus ſit: præbenda vero eſt ipſa portio aſſignata in fructibus conſiſtens, ex quibus viuere debet. Et quamuis videatur de Iure diuino, vt qui Altari ſeruit de Altari viuere debeat *c. cum ſecundùm Apoſtolum de præbend. & dignit.* tamen diuiſio fructuum Eccleſiaſticorum in Beneficia eſt de Iure poſitiuo, à Papa inducta pro commoditate Clericorum; vnde idem Papa poteſt deſtruere omnia beneficia, & reducere Clericos ad victum communem, vt olim in Primitiua Eccleſia. Sic etiam collatio omnium Beneficiorum Mundi pertinet ad Papam ipſo Iure Gonz. *ſup.* 8. *reg. Cancell.* §.1. & 2. *proemial.*

§. *Cum enim*

Conceſſio præbendæ alia eſt ex gratia, alia de iuſtitia. Ex gratia eſt, quandn Clericus non eſt pauper: ſi verò pauper ſit, eſt de iuſtitia, quia, dignum, & iuſtum eſt, vt qui Altari ſeruit, viuat de Altari *d. c. cum ſecundùm Apoſtolnm*. Iſta antem prouiſio appellatur in forma pauperum, ſeu in forma, dignum; & ideo ſi concurrat Clericus pauper cum Clerico diuite, debet præferri pau-

pauper. Vnde ſemper debet remanere congrua pro Clerico, qui perſonaliter reſidet, & curam animarum exercet, ita vt viuere congruenter poſſit *c.2. de ſuppl. neglig. Prælat.* Et ita iſta congrua debetur Rectoribus Parrochialibus, ſeù Vicarijs perpetuis, non tamen illis, qui poſſunt per alios ſeruire *c. extirpanda §. qui verò de præbend.* & ibi Abb. *n.* 12. Quæ congrua hodie ſunt ſcuta centum monetæ: Epiſcoporum verò congrua ſunt mille ſcuta ſimilia, & hodie conſtitutum eſt, vt nemo poſſit ordinari niſi ſub titulo, ex quo Clericus poſſit honeſtè viuere, quia indecorum eſt Clericum mendicare. Titulus autem debet eſſe beneficij, & in caſu neceſſitatis Eccleſiarum poterit eſſe penſionis, vel patrimonij iudicio Epiſcopi; quod beneficium renunciari non poterit, niſi aliud ſufficiens Clericus aſſequutus fuerit: neque patrimonium alienari, vel in parte imminui: nec penſio remitti, aut extingui, niſi ſimiliter beneficium ſufficiens aſſequutus fuerit. Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *de reform. cap.* 2. Vnde aliter ordinans tenebitur ordinato miniſtrare alimenta, quouſque ei prouiderit de benefico ſufficienti *c. ſi Epiſcopus, de præbend. in 6.*

§. Quòd ſi Epiſcopus

Quòd ſi Epiſcopus ordinauerit Clericos ex mandato Ordinarij eorum, & fuerint in mandato certæ perſonæ expreſsæ, ordinans non tenebitur illis prouidere, ſi non habeant titulum: ſed mandans. Non dicuntur autem certæ perſonæ Clerici talis villæ. gloſs. *in d. c. ſi Eqiſcoqus, in verb. certas.* Si verò mandatum eſset generale v. g. vt ordinet tres, vel quatuor de ſua diœc. tunc tenetur ordinans, quia ad ipſum ſpectabat videre an haberent titulum. Si verò Diœceſanus tribuat alicui licentiam, vt à quo voluerit Epiſcopo poſſit promoueri, non ordinans, ſed qui licentiam dedit, tenebitur illi prouidere.

§. Conceduntur

Præbendæ, & alia beneficia conceduntur, vel per collationem vel per inſtitutionem. Collatio eſt libera præbendæ, vel alterius beneficij conceſſio. Inſtitutio eſt præbendalis iuris ad præſentationem Patroni facta translatio: Patronus enim præſentat: Epiſcopus verò, vel Capitulum inſtituit Clericum præſentatum in Eccleſia.

Conferuntur etiam per conceſsionem in Commendam, ideſt

in depoſitum, aliquando ſimpliciter, aliquando etiam vt fructus conuertantur in proprium vſum in perpetuum; quod facit ſolus Papa.

Item conceduntur per ſubrogationem; vt quando Papa ſubrogat aliquem in locum alterius colliригantis de beneficio. Quæ ſubrogatio alia eſt rigoroſa, vt quando Papa mandat v. g. Auditori Cameræ, vt ſubroget: alia eſt gratioſa, vt quando Papa ipſe ſubrogat. Mandoſ. *in ſuo tract. de Signat. Grat. in tit. ſubrogationes*. De Collationibus itaque agendum eſt primò, & deinde de Inſtitutionibus.

De Collationibus.

TIT. XXVII.

IN principio huius tituli dicitur quòd Beneficia conferuntur vel ab Ordinario, vel ex mandato Legati Sedis Apoſtolicæ, vel ex Papæ reſcripto.

Ordinarius autem collator eſt, quem aut conſuetudo approbauit, aut Iuris deſignauit auctoritas, vt eſt Epiſcopus, & Capitulum. Papa verò eſt Ordinarius Ordinariorum, & poteſt omnes Ordinarios præuenire, & ita conferre omnia beneficia præueniendo Ordinarios. Poteſt etiam reſeruare ſibi omnia beneficia Mundi à ſe conferenda, & nemini facit iniuriam. Gonz. *in 8. reg. §. 1. proemial.* Quando verò Papa concedit Ordinarijs, vt conferant, concedit quòd habeant collationem pro fructu reſidentiæ eorum, & quia ipſi meliùs cognoſcunt oues ſuas. Non poſſunt autem omnia beneficia vacantia in ſuis Diœceſibus conferre. Qnoniam ſi Diœceſani non reſederint, vel ſi ſint inferiores ab Epiſcopis, Papa habet octo menſes, & illi quatuor, nempe Papa Ianuarium, & Februarium, illi Martium: Papa Aprilem, & Maium, illi Iunium, & ſic deinceps. Si verò Epiſcopi, & Superiores collatores reſederint, habent alternatiuam ſex menſium, ſi ab eis fuerit acceptata, & regiſtrata in libro Datarij, nempe Papa habet Ianuarium, illi Februarium: Papa Martium, illi Aprilem, & ſic deinceps. Ita diſponitur in reg. Cancellariæ de Reſeruatione menſium Apoſtolicorum, & de Alternatiua pro Epiſcopis Reſidentibus, ſuper qua regula latiſſimè ſcripſit Hieronymus Gonzales ſæpè à me allegatus.

§. Quam

§. *Quam conferendi*

Si Epiſcopus, & Capitulum habeant ius conferendi coniunctim, non poteſt vnus ſine alio conferre, niſi ſit impedimentum in altero, vel mortis, vel ſuſpenſionis, vel excommunicationis maioris, non tamen minoris. Et quod de morte dicitur ſcilicet Epiſcopi, intelligitur etiam de renunciatione, vel de depoſitione, vel quolibet alio modo vacet Eccleſia, quia eſt eadem ratio.

Poſſunt etiam habere ius conferendi diſiunctim, vt Epiſcopus conferat ex ſe certa beneficia, & Capitulum poſſit conferre alia. Non poſſunt autem Epiſcopi conferre præbendas, præſtimonia, ſeù ſtipendia, niſi illis, qui per ſe ipſos poſſunt exponere Sacram Scripturam, aliàs prouiſio nulla eſt, quando in Eccleſia ſit deſtinata præbenda, vel præſtimonium pro expoſitoribus Sacræ Scripturæ, vel pro Lectoribus Sacræ Theologiæ, prout diſponit Conc. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de reformat.*

§. *Cum verò*

Quòd ſi collatio pertineat ad ſolum Epiſcopum, ſed cum conſilio, vel conſenſu Capituli, tunc non poteſt Capitulum conferre, niſi Epiſcopus fuerit defunctus, vel ſuſpenſus, & fuerit in mora petendi abſolutionem. Si verò pertineat ad Capitulum, vel alium inferiorem liberè, requiritur approbatio Epiſcopi.

§. *Vbi verò*

Si verò collatio beneficij ad aliquem ſpectet cum conſilio Epiſcopi, non per hoc differenda eſt collatio, ſi mortuus ſit Epiſcopus, vel ſit adeo in remotis partibus, vt præſentia eius breui tempore baberi non poſſit, vel in expectando ſit periculum vacanti beneficio.

Ceterum ſi ad ſolum Epiſcopum ſpectet collatio, vel ad ſolum Capitulum, tunc ſi per ſex menſes non fuerit collatum, ad alterum pertinet collatio, & ſi nemo contulerit, Metropolitanus conferet, niſi Epiſcopus ſit exemptus. Si verò eſt exemptus, vel Metropolitanus negligat collationem, tunc collatio pertinet ad Papam iure deuoluto *c. licet, de ſupplend. neglig. Prælat.*

§. *Idem*

§. *Idem ſtatuitur*

Si verò collatio pertineat ad Prælatos Regulares, & infra ſex menſes non contulerint, poſſunt Ordinarij conferre in non exemptis propria auctoritate: in exemptis verò auctoritate Apoſtolica tanquam Delegati à Papa iuxta decretum Concilij Viennenſis *vt in Clem. vnic. de ſupplend. neglig. Prælat.*

§. *Tempus*

Tempus autem ſex menſium, quod datur collatoribus incipit currere a die habitæ notitiæ vacationis, non autem ab ipſo tempore vacationis: neque currit legitimè impeditis. Et hoc etiam procedit in Executore dato à Papa ad collationem perficiendam. Non tamen procedit hoc in habente poteſtatem inſtituendi præſentatum à Patrono, vt *per gloſſ. hic*, & per Abb. *in c. 2. de conceſſ. præbend. n. 12. & 13.*

§. *Hac autem*

Deuolutio collationis non habet locum in Eccleſia non numerata, ideſt in qua non eſt certus numerus Canonicorum, quia tunc propriè non dicitur beneficium vacare. Idem dicitur quando Dignitas eſt ſuppreſſa, quia non entium nullæ ſunt qualitates *l. eius qui in prouincia ff. ſi cert. petat.*

§. *Licet autem*

Sede vacante Epiſcopali non deuoluitur collatio ad Capitulum, quia tunc non poteſt imputari negligentiæ Epiſcopi, cùm deuolutio contingat ex negligentia collatoris, & in caſu iſto nulla eſt negligentia; quapropter eſt recurrendum ad Papam, qui Eccleſiæ prouideat. Abb. *in c. illa, ne ſed. vacant.*

§. *Is quoquè*

Si poſt deuolutionem non fuerit collatum beneficium à Superiore, nempe à Papa, & Ordinarius nihilominus perſonæ idoneæ beneficium contulerit, quamuis collatio in Iure non teneat, ex diſpenſatione tamen, & benignitate tolerabitur, ideſt per pa-

tientiam Papæ, quam patientiam ſolus Papa præſtare poteſt ad effectum, vt prouiſus legitimè poſſideat. Inferior verò id facere non poteſt. Idem Abb. *in c. litteras, de ſupplend. neglig. Prælat.*

§. *Ex Legationis*

Secundò beneficia conferuntur virtute legationis; nam Legatus de latere poteſt conferre beneficia, non tamen vacantia in Curia. Gloſſ. fin. *in c. 1. de offic. Legat. in 6.*

Legatorum autem plures ſunt ſpecies; quidam enim ſunt Legati de latere, qui non ſunt niſi Cardinales, & mittuntur ad regendas Prouincias loco ipſius Papæ, & in ipſa Prouincia poſſunt conferre beneficia, licet non omnia, vt *in §. ſeq.*

Sunt etiam alij Legati de latere Cardinales, qui ad aliquod graue negotium mittuntur, veluti ad pacem ineundam inter Reges Chriſtianos; & iſti etiam habent ius conferendi beneficia in illa Prouincia, vel in illo Regno, ad quod mittuntur ſecundùm tenorem litterarum Legationis.

Alij ſunt Legati nati, qui ſunt quidam Archiepiſcopi, vt Cantuarienſis &c. Et dicuntur nati, quia ſtatim ac creati ſunt Archiepiſcopi, ſunt Legati Papæ.

Alij ſunt Legati miſſi, qui dicuntur Nuncij, & mittuntur ad certas Prouincias pro negotijs illius Prouinciæ, nec ſunt Cardinales, ſed Præſules; & iſti poſſunt conferre beneficia in illa Prouincia 30. vel 40. ducatorum.

§. *Sed tamen*

Non poſſunt autem Legati de latere conferre Eccleſias Cathedrales, nec Regulares, aut Collegiatas, nec etiam Eccleſiarum Cathedralium Dignitates, ad quas per electionem promoti primum poſt Epiſcopum obtinent locum, vt eſt Archidiaconatus; nam tales dignitates non poſſunt ſibi reſeruare, quantumuis plenariam habeant legationem *c. 3. & 4. de offic. Legat.* Neque poſſunt conferre beneficia patronata, derogando Iuri patronatus Laicorum, quamuis poſſint, ſi ſint de Iure patronatus Eccleſiaſticorum. Neque etiam plures reſeruationes eodem tempore in eadem Catherali, aut Collegiata facere poſſunt. Pro cuius rei intelligentia

Sciendum eſt quod reſeruatio nihil aliud eſt, quàm impedimentum obiectum ordinario collatori, vt tempore collationis ſibi

bi competentis non poſſit beneficium conferre, eo quod ipſe reſeruans ſuæ prouiſioni reſeruat beneficium, quod vacabit in aliqua Eccleſia.

Papa autem poteſt ſibi reſeruare omnia beneficia Mundi vt ſupra diximus, & non ſolum facit beneficium reſeruatum, ſed etiam affectum. Eſt autem differentia inter reſeruationem, & affectionem, quod omnia beneficia reſeruata ſunt affecta; non tamen omnia affecta ſunt reſeruata.

Pluribus autem modis poſſunt fieri beneficia affecta, quos congerit Gonz. *ſup.* 8. *reg. gloſſ.* 52. Et inter ceteras regula eſt, quòd omnia beneficia vacantia in Curia ſunt affecta; Ita etiam beneficia familiarium ipſius Papæ, prout etiam beneficia Protonotariorum Apoſtolicæ Sedis &c.

Reſeruatio autem duplex eſt, alia realis, alia pectoralis, ſeù mentalis. Realis eſt quando Papa reſeruat ſibi primum beneficium vacaturum, vt illud conferat certæ perſonæ nominatæ: & confert cum clauſula ex nunc prout ex tunc. Mentalis eſt quando Papa reſeruat ſibi beneficium vacaturum, conferendum perſonæ, quam habet in pectore, ſeù in mente, nominandæ tempore vacationis. Sed ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 19. *de reform.* iſtæ mentales reſeruationes ſublatæ ſunt. Papa tamen derogat Concilio illas faciendo.

§. *Illæ quoquè*

Reſeruationes factæ à Legatis de latere ſi non ſint ſortitæ effectum, expirant finita legatione, adeoque exequtores dati amplius conferre non poſſunt. Secus eſt in Papa, quia gratia ad vacaturum beneficium conceſſa non expirat per mortem Papæ, quamuis eo viuente non habuerit effectum. Videatur Gloſſ. *hic in verb. executores verſic. aliud in Papa*.

§. *Sed nec aliter*

Si prouiſus à Legato de latere non expreſſerit in ſupplicatione ſe habere aliud beneficium, prouiſio eſt nulla: ſecus in prouiſo ab Ordinario. Ratio eſt, quia præſumitur quòd Ordinarius ſciat ſuum ſubditum habere aliud beneficium, cùm teneatur cognoſcere oues ſuas, quæ præſumptio ceſſat in Legato de latere.

§. *Illud autem*

Si collatum fuerit beneficium tam ab Ordinario, quàm à Legato, quamuis nullum ius ſit acquiſitum in re illi prouiſo, donec collationem ratam habuerit: nihilominus eo non conſentiente non poteſt alteri illud idem beneficium conferri; vnde debet collator præfigere ei terminum competentem ad beneficium acceptandum, qui ſi illud non acceptauerit intra terminum præfixum, tunc poterit alteri conferri, quia cadit à iure ſuo.

Nec obſtat tex. *in c. quam ſit de elect. in 6.* vbi terminus ad acceptandum eſt à Iure ſtatutus, nempè vnius menſis; Vnde non videtur neceſſe quòd ab alio præfigatur. Reſpondetur enim illum textum procedere in beneficijs electionis: non autem in beneficis liberæ collationis, vt *hic*.

Sed quid ſi prouiſus ſemel diſſenſit, an poſſit mutato propoſito deinde conſentire? Et dicitur quòd ſi collator in eadem voluntate permanſerit, poterit conſentire, ſecus non, vt notatur *in c. ſi tibi, de prabend. in 6.*

§. *Per Reſcriptum*

Tertio conferuntur beneficia per reſcriptum Apoſtolicum. Reſcriptum autem eſt id, quod Papa reſcribit ad petitionem ſeù ad ſupplicationem alterius, vel ad gratiam, vel ad iuſtitiam: Vnde duplicis generis reſcripta Pontificis emanant, quædam ad Iuſtitiam, vt regulariter in cauſis, & litibus: & quædam ad Gratiam, vt regulariter in beneficijs. Ita DD. *in rubr. de reſcript.*

Reſcripta autem ad beneficia fiunt vel purè, vel adiecta die, vel ſub conditione.

Purè, vt cũ Papa mandat ſimpliciter alicui Ordinario, vel alteri, vt prouideat alicui de aliquo beneficio. Sciendum autem eſt, quod Papa iure præuentionis poteſt conferre omnia beneficia Mundi, & præuenire Ordinarijs, vt ſupr. diximus. Vnde ſi prius conferat Papa, quàm Ordinarius, prouiſus à Papa præfertur prouiſo ab Ordinario, dummodò conſtet quòd Papa voluerit præuenire, vt putà apponendo decretum irritans, etiam ſi iure deuoluto pertineat ad Ordinarium *c. ſtatutum, de prabend. in 6.* quia Papa beneficium vacans in Curia non contulerit intra menſem. Debet tamen fieri mentio in genere de iure deuoluto, aliàs in dubio non præſumitur quòd Papa velit præuenire. Gonz. *ſup.* 8. *reg. §. 4. proemial num.* 95.

In

In diem ſit, quando Papa mandat, vt conferatur beneficium alicui, quòd intra menſem, aut aliquod aliud tempus à vacationis notitia acceptauerit; & tunc illud non poterit intra idem tempus alteri per Ordinarium conferri, ex eo quia tale beneficium eſt affectum Papæ tam reſpectu reſeruationis, quia tacitè eſt reſeruatum, quàm etiam reſpectu decreti irritantis, quod ſolet apponi in huiuſmodi mandatis de prouidendo. Hæc autem mandata de prouidendo cum reſeruationibus habent magnam conformitatem: ſed differunt in hoc præcipuè, quia in his Papa ipſe prouidet: in illis alius prouidet ex Papæ mandato. Mandoſ. *de ſignat. grat. tit. mandata de prouidend.* Præſumitur autem notitia vacationis in eo, ad cuius fauorem eſt factum mandatum, cum primùm in loco, vel Eccleſia beneficij publicè ſit nota vacatio, nec admittitur excuſatio, quòd eius notitiam non habuerit.

Sub conditione verò fieri mandatur collatio, quando Papa mandat alicui, vel Ordinario, vel alteri conſtituto executori, vt prouideat talem, vêl conferat beneficium tali, ſi ſit vitæ laudabilis, ſi ſit Doctor, ſi Capitulum conſenſerit, vel quid ſimile; quo caſu ſi talis conditio non extiterit, poterit beneficium tanquam vacans liberè alteri conferri, non obſtante decreto irritante.

§. *Sed multum*

Eſt adnotandum, quòd plurimùm intereſt an collatio, aliave prouiſio facta ſit motu proprio, an verò ad Partis petitionem; Primo enim caſu ſi impetrans obtinet alia beneficia, nulla facta de eis mentione, nihilominus prouiſio tenet: ſecus ſi ad petitionem Partis. Et ratio eſt, quia quando Papa, concedit motu proprio, videtur informatus de qualitatibus prouiſi, & velle facere gratiam pinguiorem: ſecus ſi ad petitionem Partis, quo caſu litteræ dicuntur ambitioſæ, & ſic ſi quis petens beneficium non expreſſerit habere aliud, licet modicum, prouiſio erit nulla, tanquam ſubreptitia.

§. *Item ſi*

Sic etiam eſt diſcrimen inter collationem factam motu proprio de beneficio vacante, & factam ad Partis petitionem; Nam primo caſu ſi eodem tempore plura vacauerint beneficia, intelligitur de pinguiori, ſecundo verò caſu de tenuiori; & ſi ſint æqualia,

pri-

primo caſu prouiſus eligit, dum tamen intra decem dies à die habitæ notitiæ vacationis acceptauerit. Secundo caſu eligit collator, etiam intra decem dies. Et ratio eſt, quia in hoc ſecundo caſu intelligitur facta conceſſio ad importunitatem Partis. Intelligitur autem facta motu proprio, quoties id in conceſſione exprimitur *c. cum aliquibus, de reſcript. in 6. & c. 2. in fin. de præbend. in 6.*

§. *Sed ſiue motu proprio*

Solus autem Papa tribuit ius in vacaturis, ſiue motu proprio, ſiue ad Partis petitionem concedantur. Et propterea dantur iſti gradus inter Ordinarium, Legatum de latere, & Papam, quia Ordinarius non poteſt facere reſeruationes, & multò minus poteſt tribuere ius in vacaturis: Legatus de latere poteſt facere reſeruationes, non tamen ius tribuere in vacaturis: Papa autem poteſt & reſeruationes facere, & ius tribuere in vacaturis, & preuenire omnes in collationibus, quia habet plenitudinem poteſtatis *d. c. 2. de præbend. in 6. & c. ſignificaſti, de elect.*

§. *Quo tamen caſu*

Ille tamen, ad cuius fauorem conceſſum eſt à Papa mandatum de prouidendo, & poſtea vacans beneficium non petierit, adeo vt illud poſtea alteri fuerit collatum, non poterit virtute eiuſdem mandati aliud beneficium petere, aut vacaturam præbendam, niſi prius fuerit receptus in Canonicum, quia tunc ex noua cauſa debet habere præbendam.

§. *Poterit tamen*

Habens autem expectatiuam ad beneficium vacaturum, poterit acceptare vacaturum primum, vel ſecundum, vel aliud, ſi rationabilis ſit cauſa, vt puta quia primum debebatur alij, vel dubitabatur an alij deberetur, vt notatur *in c. ne captandæ, de conceſſ. præbend. in 6.* Non tamen poterit acceptare beneficium certum, prius quàm vacet, & ita beneficium viuentis, quia continet in ſe votum captandæ mortis alterius.

§. *In-*

§. *Inde etiam*

Per Papæ reſcriptum poteſt diſpenſari ſuper pluraritate beneficiorum, maximè circa litteratas perſonas, cum regulariter non poſſit quis plura beneficia obtinere, niſi ſint Cardiuales, vel filij Regum *c. ad hæc, de præbend.* Epiſcopi autem habenti vnum beneficium ſimplex, quod non ſufficiat ad eius ſubſtentationem, aliud ſimile ſufficiens poteſt ei concedere, non tamen poteſt plura beneficia eidem conferre, vſque ad ſufficientem ſubſtentationem. Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reform.*

§. *Item ſi à Sede*

Quando autem pluribus beneficium eſt collatum, nec conſtat cui prius fuerit collatum, ſemper poſſeſſor præfertur, & manutenendus eſt. Si verò nemo poſſideat, debet præferri is, qui habet digniorem collatorem, vt ſi Papa vni contulerit, & Ordinarius alteri idem beneficium, nec conſtat de priori data, præferendus eſt prouiſus à Papa.

Si verò Ordinarius velit præuenire Papam in ſua collatione, vt ſit vtilis, debet facere collationem per inſtrumentum celebratum coram Notario, & teſtibus ſe ſubſcribentibus in eodem collationis inſtrumento, aliàs non creditur. Gonz. *ſup.* 8. *reg.* §. 3. *procmial. num.* 143. qui ponit ſex ampliationes cum quinque limitationibus. Nec valet collatio facta coram Secretario Epiſcopi ad effectum præuentionis. Eſt autem regula Cancellariæ de concurrentibus in Data, quòd pluribus concurrentibus in Data præferatur præſens in Curia abſenti, & Papa, ac Datarius ſolent conſiderare iſtam qualitatem antiquæ reſidentiæ in Curia. Gonz. *vbi ſupr. gloſſ.* 4. *num.* 156.

§. *Auctoritate*

Apoſtolica auctoritate intelligitur quis receptus, etiam ſi mandato Legati, vel alterius, cui ſpecialiter mandatum fuerit, vt auctoritate Apoſtolica prouideret, recipiatur. Idem eſt ſi Papa receptum ex mandato Legati ſua auctoritate muniat, expreſſe dicendo, quòd recipiatur auctoritate Apoſtolica. Quòd ſi hoc non exprimatur, non auctoritate Apoſtolica, ſed auctoritate

reci-

recipientis receptus intelligitur, niſi aliunde colligi poſſit, quòd auctoritate Apoſtolica receptus fuerit.

§. *Illud etiam*

Dicit textus, quòd non eſt credendum, Papam voluiſſe eundem collatorem pluribus onerare prouiſionibus, niſi hoc exprimat; quoniam intelligitur in dubio minus onerare Ordinarium collatorem.

§. *Sunt autem*

Si Papa mandauit, vt prouideatur alicui de præbenda certi valoris, non poterit ei etiam volenti prouideri de præbenda minoris valoris; quia mandati fines præcisè ſunt intelligendi *l. diligenter ff. mand. & §. is, qui exequitur Inſt. de mand.*

§. *Idem obſeruari*

Sic eadem ratione ſi mandatum fuerit, vt prouideatur alicui de beneficio, quod ad collationem alicuius pertinet, non poterit ei prouideri de beneficio patronato, quod ad eiuſdem præſentationem, vel inſtitutionem pertinet, quia ex diuerſis non fit illatio *l. Papinianus ff. de minorib.* magna enim eſt diſtinctio inter collationem, & inſtitutionem *c. cum in illis §. cum autem, de præbend. in 6.*

§. *Eodem ſpectat*

Quòd ſi mandatum eſt alicui à Papa, vt recepta reſignatione alicuius beneficij facienda, idem beneficium alteri conferat, & ante reſignationem reſignaturus moriatur, non poterit virtute illius mandati idem beneficium eidem conferri, quia alio modo vacauit, ideſt per obitum, non per reſignationem: imò ampliùs etiam ſi is, qui reſignauit, intra viginti dies mortuus ſit, non poterit illud beneficium conferri in vim illius mandati per regulam Cancellariæ de viginti, ſeù de infirmis reſignantibus, quatenus diſponit, quòd ſi reſignans moriatur intra viginti dies à reſignatione, beneficium dicatur vacare per obitum, & non per reſignationem à Rebuff. *in ſua prax. beneſ. in reg. de infirm. reſign.*

§. Idem

§. *Idem obtinet*

Sic etiam mandatum de prouidendo non extenditur ad beneficium de nouo creatum, etiam ſi paulò poſt datam creatum ſit, quia mandata de prouidendo ſunt ſtricti iuris. *Clem. litteras, vbi not. de reſcript.* Sed ſi beneficium antea exiſtebat, tempore verò datæ fuit ſuppreſſum, & poſt datam fuit renouatum, numquid tale mandatum ad ipſum extendatur? Et dicitur extendi arg. eorum, quæ notantur *in c. cum acceſſiſſent, de Conſtitut. & c. ſignificauit, de cenſib. & ead. Clem. litteras.*

§. *Et ſi quis*

Appellatione autem beneficij non venit penſio, quia penſio non eſt beneficium ſtrictè ſumptum, ſiuè detur in titulum, vt communiter fieri ſolet, quando reſeruatur ſuper fructibus alicuius beneficij in fauorem alicuius Clerici ad vitam: ſiue detur in ſtipendium, vt pro patrocinio, pro negotijs ſollicitudinis, pro pulſandis campanis, vel pro alijs Eccleſiæ ſeruitijs. Gigas *de penſion. quæſt.* 28. Et propterea regula de infirmis, & regula de annali poſſeſſore non habent locum in penſione, quæ datur in titulum. Nauarr. *de præbend. conſ.* 11. Vnde ad titulum penſionis non poteſt quis ordinari, niſi neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiæ aliud ſuadeat. Conc. Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de reform.* Et conſtitutio Pij Quarti, & S. m. B. Pij Quinti *de Confidentijs* non habent locum in transferentibus penſiones per confidentias. Paris *de confid. quæſt.* 23. Sic etiam habens penſionem non gaudet priuilegio fori propter ipſam penſionem tantùm, niſi concurrant in eo cetera requiſita, de quib. in Conc. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform.*

§. *Eodem etiam*

Si verò fuerit factum mandatum de prouidendo alicui de beneficio ſpectante ad collationem Epiſcopi, & ex negligentia Epiſcopi, vel ex delicto collatio fuerit deuoluta ad Capitulum, Executor non poterit de eo prouidere: ſecus ſi collatio pertinebat ad Capitulum, & ex negligentia, aut delicto ipſius Capituli fuerit collatio deuoluta ad Epiſcopum, quia poterit tunc de illo prouidere. Idem ſi iure deuoluto ex negligentia Epiſcopi, vel aliorum collatio pertinebit ad Sedem Apoſtolicam, quia poterit

etiam de eo prouideri. Secus autem ſi beneficium non iure deuoluto, ſed iure ordinario ſpectaret ad collationem Papæ; nam Papa iure proprio confert, *vt in c. 2. de præbend. in 6.*

§. *Interdum*

Mandatum autem de prouidendo aliquando reſtringitur ex perſona prouidenda, vt ſi mandatum ſit, vt prouideatur alicui de beneficio primò vacaturo, & primò vacauerit beneficium Curatum; nam prouidendus ſi non ſit in ætate, vt poſſit fieri Sacerdos, non erit de eo prouidendus. Idem intelligitur de loco, vt tale reſcriptum recipiat interpretationem, & reſtrictionem ratione loci. Exemplum eſt. Si reſcribitur ad fauorem alicuius, quod prouideatur ei de beneficio vacaturo in Eccleſia aliqua Ciuitatis, vel Diœceſis, non intelligitur de Cathedrali: ſecus ſi reſcriptum fuerit, vt prouideatur de beneficio vacaturo in aliqua Eccleſia Prouinciæ, quia tunc intelligitur etiam de Cathedralibus. Et ratio eſt, quia tunc apparet Papam voluiſſe facere pinguius mandatum.

Idem eſt ex ordine ſcripturæ, vt ſi mandatum ſit, vt prouideatur alicui de beneficio, quod ſpectat ad collationem Ioannis, vel Pauli, & eodem tempore vacauerint duo beneficia, vnum ſpectans ad collationem Ioannis, & alterum ad collationem Pauli, tunc attenditur ordo ſcripturæ, & cùm primò fuerit nominatus Ioannes debet prouideri de beneficio, quod ſpectat ad collationem Ioannis.

Item ſi mandatum ſit prouideri de beneficio ſpectante ad prouiſionem plurium communiter, & beneficium vacans pertinet ad collationem vnius diuiſim, non poterit de eo prouideri.

§. *Item inſertio*

Interpretatur etiam reſcriptum, ſeù mandatum de prouidendo ex cauſa in ipſo inſerta, vt ſi Papa mandat prouideri Clericum pauperem, & antequam eueniat caſus vacationis in illa Eccleſia, Clericus ille fuerit aſſequutus aliud beneficium, quia tunc cùm ceſſet ratio paupertatis, ceſſat etiam mandatum de prouidendo.

Hoc autem reſcriptum dicitur in forma pauperum, ſeù in forma communi. Epiſcopus autem non debet aliquem ad ordines promouere, niſi habeat vnde viuere poſſit *c. non licet, & c. Epiſcopus, de præbend.* & ad hoc impetrat Clericus litteras à Papa Ordina-

natori directas, vt ipſe prouideat pro qualitate perſonæ, vt honeſtè, ac commodè viuere poſſit *c. ſi pauper, de prabend. in 6.* Et quia ſic communiter pro ordinatis Papa reſcribere ſolet, ideo talia reſcripta in forma communi appellantur, & dicuntur litteræ iuſtitiæ. Rebuff. *in ſua prax. beneſ. tit. de reſcrip. in for. com.*

§. *Nam & is*

Si ad fauorem alicuius eſt conceſſum mandatum de prouidendo, non intelligitur quòd prouideatur, ſi habet aliud beneficium ſufficiens, niſi aliud ſit expreſſum: nec poteſt niſi habenti vnum, aut aliud beneficium, aliud dari, quando in litteris expreſſum ſit, quòd prouideatur etiam quòd alia habeat beneficia; Quo caſu non erit prouidendus de beneficio curato, niſi expreſsè dicatur in mandato.

§. *Ex natura*

Mandatum autem de prouidendo de beneficio, quod ſpectat ad aliquem iure collationis, quamuis ſit generale, non tamen extenditur ad beneficium electiuum. Idem etiam ſi fuerit mandatum de beneficio patronato. Ex quo colligitur quod electio non intelligitur ſub nomine collationis, vt notatur *in c. fin. de elect. in 6.*

§. *Illud quoquè*

Si in mandato de prouidendo non ſint expreſſæ perſonæ, ſed generaliter enunciatum ſit quod idoneis perſonis beneficia vacatura, vel vacantia in certa Eccleſia conferat, ſi poſtea Papa moriatur, gratia non expirat. Secus ſi certæ perſonæ fuerint expreſſæ, quia re integra, ideſt non dum facta collatione ſi Papa moriatur, expirat gratia. Et ratio eſt, quia primo caſu gratia eſt ad fauorem eius, ad quem ſcribitur, & ideo firmior: ſecundo caſu eſt ad fauorem alterius, ideſt ipſius prouidendi, & ideo infirmior.

Neque huic textui contradicit textus *in c. ſi ſuper gratia, de offic. delegat.* vbi dicitur quod Executorum poteſtas datorum ſuper gratia alicuius re integra non expirat, ſicut nec gratia, cum illa gratia Executorum ſit acceſſoria ad gratiam, cuius contrarium hic videtur innui,

Reſpondetur enim quod eſt diuerſitas in facto; nam textus *in d. c. ſi ſuper gratia* loquitur de gratia iam facta: hic vero de gratia

facienda per Executores. Si ergo Papa reſeruat ſibi primum beneficium vacaturum in tali Eccleſia, quod ex nunc prout ex tunc confert Titio, & dat Executores, etiam ſi ſequatur mors Papæ ante vacationem, gratia non expirat. Si verò Papa non facit gratiam, ſed mandat fieri, & ſequatur mors Papæ re integra, ideſt collatione non dum facta, gratia expirat, & etiam Executores dati, prout loquitur hìc noſter textus, & text. *in c. ſi cui, de præbend. in 6.* & latè *ibi gloſſ. in verb. moriatur.*

§. *Illud etiam intereſt*

Mandatarius autem poteſt alteri committere vices ſuas, quando commiſſa eſt prouiſio facienda de beneficio in certa Eccleſia, Diœceſi, vel Prouincia certæ perſonæ: ſecus ſi perſonæ incertæ, licet in Eccleſia certa; tunc enim videtur electa induſtria perſonæ ipſius mandatarij. Eſt autem regula quod Delegatus Papæ poteſt alteri ſubdelegare, niſi ſit electa induſtria perſonæ *c. fin. §. is autem, de offic. & poteſt Iudic. delegat.*

§. *Poſtremò*

Demum eſt adnotandum, quod beneficia Eccleſiaſtica debent ſine diminutione conferri. Hoc autem non refertur ad Papam, qui habet liberam diſpoſitionem omnium beneficiorum, & poteſt omnia beneficia ſupprimere, ne dum diminuere, vt aliàs diximus ex Gonz. *ſup.* 8. *reg.* §. 1. *proemial.* Item non procedit in beneficijs de menſa, ſcilicet quæ ob paupertatem ſunt applicata menſæ Epiſcopali, vt *in Clem. quia regulares §. præmiſſa, de ſuppl. neglig. Prælat.* & gloſſ. *hìc in verb. ſuis vſibus.*

De Inſtitutionibus, & Iurepatronatus

TIT. XXVIII.

Viſum eſt de collationibus, per quas conceduntur beneficia. Verùm quia conceduntur etiam per inſtitutionem, ideò ſequitur preſens tit. Et quamuis inſtitutio poſſit etiam dici collatio in genere: tamen in ſpecie pertinet propriè ad beneficia patronata.

Iuſpatronatus Eccleſiaſticum eſt inductum ad ſimilitudinem

Iu-

Iuriſpatronatus libertorum; nam ſicut qui manumisit ſeruum, habet iuſpatronatus in eum, conſiſtens in honore, & vtilitate, quia libertus præſtare tenetur Patrono debita obſequia, & ſi Patronus vergat ad inopiam, tenetur ei alimenta præſtare: ita Eccleſiæ Patrono debetur honor in Eccleſia, in ſedendo, in Proceſſionibus &c. Eſt etiam vtilitas, quia Patronus habet ius præſentandi, & ſi deueniat ad paupertatem, tenetur Eccleſia dare ei alimenta &c.

Definitur Iuſpatronatus per Abb. *in rubr. huius tit.* Eſt quoddam Ius oneroſum, honorificum, & vtile in Eccleſia acquiſitum propter ædificationem, vel fundationem, vel dotationem.

Dicitur Ius oneroſum, quia Patronus debet Eccleſiam defendere; Vnde Iuſpatronatus appellatur etiam Ius Aduocatiæ, Ius defenſionis, Ius guardiæ: & Patronus appellatur Aduocatus, Defenſor, Guardianus ſecundùm varias conſuetudines Regionum.

Dicitur, honorificum, quia Patronus, vt diximus debet habere honorem, in ſedendo, in Proceſſionibus, & prima vice, qua Patronus accedit ad Eccleſiam patronatam debent Clerici ire obuiam ei proceſſionaliter, ſi conditio Eccleſiæ id ferat, vt quia Patronus eſſet Rex, Dux, vel Epiſcopus DD. *in c. nobis, de iure patr.*

Dicitur, vtile ob ius præſentationis, quod habet Patronus, & ob alia, vt ſupr. diximus.

§. *Conſtituitur.*

Iuſpatronatus conſtituitur vel Eccleſiæ ædificatione, vel fundatione, vel dotatione. Et quamuis Conc. Trid. loquatur ſolum de fundatione, & dotatione, tamen intelligitur etiam de conſtructione, vt tenent omnes DD. de hac materia tractantes, vt Roch. de Curt. Lambertinus, & alij

Acquiritur etiam per tranſlationem, quæ varijs modis contingit, vt ſucceſſione, donatione, permutatione, & acceſſione, v.g. ſi emo Caſtrum, in quo ſit Eccleſia patronata, venit etiam ipſum Ius patronatus. Gloſſ. magiſtralis *in can. piæ mentis 16. quæſt. 7. in verb. piæ mentis*. Non tamen acquiritur vſurpatione, præſcriptione, conſuetudine, pacto, aut priuilegio, vt olim, quia hoc prohibetur per Conc. *ſeſſ. 25 cap. 9. de reform.* Nec ſufficit probare quaſi poſſeſſionem, niſi doceatur de verò titulo, & ſic de proprietate ex vno ex dd. tribus titulis.

§. *Aedi-*

§. *Aedificatione*

Acquiritur itaque primo ædificatione, quæ ſit à fundamentis, non autem ſi quis reſtaurauerit, aut parietes refecerit *d. can. piæ mentis*, & *can. Frigentius 16. quæſt.* 7. vbi DD. & acquiritur ædificatione etiam ſi Patronus illud expreſsè ſibi non reſeruauerit *c. ſignificauit*, vbi Abb. *de teſtib. n.* 1. In conſtructione autem requiritur conſenſus Diœceſani, ſeù Epiſcopi, qui non ſufficit ad conſtituendum Iuſpatronatus in Eccleſia Conuentuali; ſed requiritur priuilegium Apoſtolicum in ipſo limine fundationis ad effectum præſentationis. *c. nobis* §. *ceterum vbi gloſſ. in verb. de ſua iuriſdictione, de Iurepatr.* vbi Abb. *num.* 9. & quatenus dicit tex. *iuris ordine ſeruato*, habetur in *can. nemo il* 1. *de conſecrat. diſt.* 1. ſcilicet quod Epiſcopus accedat ad locum, Crucem ibi figat, atrium deſignet, primum lapidem iaciat &c.

Secundo acquiritur fundatione, vt quando datur gratis fundus ad ædificandam ibi Eccleſiam.

Tertio dotatione, quando datur dos ſufficiens pro miniſtris, pro vtenſilibus, pro luminarijs, & ceteris oneribus. Et etiam ex augumento dotis acquiritur, dummodo tamen augumentum ſit maximum; ſecus non. Dos autem congrua debet conſtitui ante fundationem, vt *in d. can. nemo*. Quod ſi neceſſitas ædificationis vrgeat, non debet Epiſcopus Eccleſiam ædificatam conſecrare, niſi prius recepto inſtrumento de congrua dote *d. can. piæ mentis*.

§. *Sunt tamen*

Pro intelligentia ſcire debetis quod Iuſpatronatus aliud eſt Laicale, aliud Eccleſiaſticum, & aliud mixtum. Laicale eſt quod ex bonis patrimonialibus eſt acquiſitum, Eccleſiaſticum quod ex bonis Eccleſiaſticis, vel cum Iuſpatronatus à Laico donatur Eccleſiæ, vel cum ratione Eccleſiæ alicui competit. *Clem.* 2. *de Iurepatr.* Mixtum eſt, quod partim ex Laicalibus, & partim ex Eccleſiaſticis bonis acquiſitum eſt. Dicitur etiam mixtum, quando ſunt Laici Patroni, & Eccleſiaſtici ratione Eccleſiæ. Gonz. *ſup.* 8. *reg. gloſſ.* 18.

Hoc poſito dicit textus quòd Patronus Eccleſiaſticus habet ſex menſes ad præſentandum: Laicus verò quatuor; & tempus incipit à die ſcientiæ vacationis, & ſcientia preſumitur ex vicinitate loci *c. quoſdam*, & *c. quanto, de præſumpt.* Dicitur autem Patronus

Eccle-

Eccleſiaſticus ille, cui competit præſentatio iure Eccleſiæ: ſecus ſi iure patrimonij, etiam quod Clericus ſit, quia tunc idem per omnia eſt in eo, quod in Laico. Gloſſ. *hic in verb. ſtatuitur*. Ratio autem quare prolixius tempus habeat Eccleſiaſticus, quam Laicus eſt, quia Laicus variare poteſt, vt ſi vnum præſentauerit non idoneum, poterit alterum præſentare: Eccleſiaſticus verò habet maius tempus ad deliberandum, quia variare non poteſt, recedendo à primo præſentato, licet cumulatiuè poſſit præſentare alium *c. cum autem de iurepatr.* Si verò inſimul ſint Patroni Ecclesiaſtici, & Laici, Laicus etiam tunc habet ſex menſes, quia Ecclesiaſticus trahit ad ſe Laicum. Tempus verò, quod habet Epiſcopus ad inſtituendum, eſt arbitrarium, vt per Gloſſ. *in §. ſeq. in verb. non poſſe*.

§. *Sed ſi Laicus*

Epiſcopus poteſt inſtituere quem vult ex præſentatis à Laico, dummodò idoneus sit. Sed si inſtituat ſecundum omiſſo primo æque idoneo, tenetur præſentato primo loco prouidere de competenti beneficio. Ex præſentatis verò ab Ecclesiaſtico primo loco præſentatus inſtitui debet, dummodo sit idoneus, neque in hoc datur Epiſcopo gratificatio *d. c. cum autem*.

§. *Legatus*

Alia eſt differentia inter Iuſpatronatus Ecclesiaſticum, & Laicale, quod Legatus de latere poteſt derogare Iuripatronatus Ecclesiaſtico in præiudicium Patroni, non autem Iuripatronatus Laicorum. Papa autem poteſt derogare cuicumque, ſed facta mentione de Iurepatronatus Laicorum, cum expreſſa derogatione, propter regulam Cancellariæ, *de Iure quæſito non tollendo*, aliàs gratia non valebit. Abb. *in c. 3. de Iurepatr.* In dubio verò an sit Ecclesiaſticorum, vel Laicorum quid ſtatuendum? Et reſpondetur quod præſumitur Laicorum, quoties Laici illud poſſident. Gloſſ. *in can. ſint manifeſtæ 12. quæſt. 1. & in can. 1. 12. quæſt. 5.* Abb. *in c. cum eſſes, verſ. an dubitatur an acqui ſiuerint de teſtam. & in c. 3. de pecul. Cleric.* Ceuall. autem *in ſuis communib. contra comm. quæſt. 282 num 8.* inquit quòd Clerici fundantes Iuſpatronatus ex proprio patrimonio, dicuntur Patroni Laici: quando verò fundatum eſt à Clerico non habente patrimonium, præſumitur Ecclesiaſticum, prout tenent etiam Roch. de Curt. *in tract. de*

Iure-

Iurepatr. in verb. Ius num. 18. & Lambertin. *in eod. tract. lib.* 1. *part.* 1. *quæſt.* 8, *art.* 7. *num.* 17.

§. *Licebit*

Alia eſt differentia, quòd Clericus inſtitutus debet reddere rationem de temporalibus Patrono Eccleſiaſtico id requirenti, non tamen Patrono Laico. Sed ſi Laicus cognoſcat Clericum diſſipare, poteſt ipſum monere, & poſtea deferre id ad Epiſcopum, qui ſi negligat, debet deferre ad Archiepiſcopum, quo etiam non prouidente, debet deferre ad Principem, etiam ſecularem; *vt gloſſ. inquit*, vt eſt Rex &c. Quod tamen non videtur procedere, niſi quando periculum eſſet in mora, & non poſſet ita facile conſuli Papa; alioquin non poteſt habere huiuſmodi recurſum ad Principem ſecularem *c. nouit, vbi notatur, de Iudic.* Et quando deferretur ad Regem, tunc non tanquam ad Iudicem, ſed tanquam ad Executorem Eccleſiaſticum deferretur, iuxta ea, quæ dicit Baron. *in ſuis Annalib. anno* 528. *in princ.* vbi quærit quomodò Iuſtinianus ediderit tot leges de rebus, & perſonis Eccleſiaſticis, cum ipſe eſſet Princeps Laicus? Et reſpondet quod illas fecit tanquam Executor Canonum, non tanquam Superior.

Non ſolum autem Patronus poterit accuſare Clericum dilapidantem bona beneficij: ſed etiam quilibet de plebe, vt inquit gloſſ. *hìc*, quia de rebus Eccleſiaſticis dantur actiones populares vt inquit eadem gloſſ. *hìc in verb. Patrono Laico*. Sed in concurſu ſemper præfertur in accuſatione Patronus, & eius deſcendentes; Quod poterit etiam Patronus facere in Eccleſia Conuentuali, licet in ea præſentare non poſsit ſine priuilegio Apoſtolico in ipſo limine fundationis obtento, vt ſupr. innuimus.

§. *Succeſſione*

Ex ſucceſsione etiam acquiritur Iuſpatronatus, vel ſit ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſiue ſint liberi, & in poteſtate qui ſuccedunt, ſiue ſint extranei, ſiue maſculi, ſiue fœminæ, quia fœminæ etiam ſunt capaces Iuriſpatronatus, ſiue ſint naturales liberi, ſiue legitimi, quia etiam naturales ſunt capaces. Et quando ſunt vocati filij, & deſcendentes ſine alia mentione legitimitatis, ſuccedunt naturales, ſi non adſint legitimi. Bald. *in l. eam quam in fin. C. de fideicom.* Gigas *de penſionib. quæſt.* 16. *num.* 2. & facit tex. *in can. piæ mentis* 16. *quæſt.* 7.

Sic

Sic etiam tranſit Iuſpatronatus ad heredes extraneos, ſi Pater inſtituat filium in re certa, & extraneum vniuerſalem heredem, Iuſpatronatus enim tunc tranſit ad vniuerſalem heredem, non ad filium: & si plures ſint heredes, ad omnes tranſit *c.* 1. *de Iurepatr.* filius verò, qui repudiauit hereditatem paternam, non erit Patronus. Feder. de Sen. *conſ.* 91. Heredes autem ſuccedunt in ſtirpes, non in capita. *Clem. fin. eod. tit.* & qui habet plus de hereditate, quàm alter, æqualiter nihilominus erit Patronus, dummodo non ſit inſtitutus ſolùm in re certa.

Dubitatur autem, numquid Iuſpatronatus remaneat apud heredem, an verò tranſeat ad fideicommiſſarium vniuerſalem? Et Reſpondetur quod remanet apud heredem. Soar. *in ſuis communib. in verb. Patronatus ius.* Tranſit etiam in legatarium, ſi Epiſcopus ab initio conſensit, vt poſsit illud legari. Idem Soarez *vbi ſupr.*

§. *Et ſi fortè*

Eſt autem adnotandum quod plures heredes inſtituti ab vno ex Patronis habent vocem vnius tantùm in præſentatione. Et ratio eſt, quia eſset in conueniens quod vnus Patronus poſſet excludere alium à præſentatione inſtituendo plures heredes. Si verò fuerint plures Patroni, & aliqui vnum præſentauerint, alij alium, præfertur qui præſentatus eſt à pluribus, & sic qui à maiori parte, dummodò sit magis idoneus.

§. *Quòd ſi ita*

Si verò Patroni fuerint diſcordes in præſentando, & ob hoc Eccleſia detrimentum patiatur, vt quia interim non poſsit Clericus inſtitui, nec Epiſcopus poſsit aliter prouidere ob ſcandalum futurum, tunc debet Epiſcopus Eccleſiam claudere, Reliquias inde adſportare, & præcipere ne in ea Miſſarum Solemnia celebretur. Ceterum si non sit futurum ſcandalum, debet interea Epiſcopus alicui Eccleſiam commendare, ita tamen vt si sit Eccleſia Parrochialis, non commendetur niſi Sacerdoti, qui poſsit Sacramenta miniſtrare: nec talis commenda fieri poterit vltra ſex menſes, nec niſi in perſona vnius; quod si lapſum fuerit tempus datum ad præſentandum, ipſe Epiſcopus ordinabit Eccleſiam, ponendo Clericum abſque alia præſentatione. Poterit etiam durante diſcordia Patronorum ponere Oeconomum, qui colligat

fructus erogandos in vtilitatem Eccleſiæ, vel reſeruandos pro Clerico, qui poſtea fuerit inſtitutus.

§. *Sed vt facilius*

Patroni autem poſsunt concordare, vt ſinguli alternis vicibus poſsint præſentare, quia per hoc nullum præiudicium fit Eccleſiæ. Idem in collatione, quando ad plures ſpectat collatio, quia tunc poſſunt concordare, vt alternis vicibus liceat conferre, & tunc ius conferendi ſpectat ad illum, qui eſt in ſuo turno, qui conferet iure proprio, nec eſt neceſse quod ſit diuiſa proprietas, ſed ſufficit quod ſit diuiſum exercitium, nec in tali caſu poteſt alius ſe intromittere, vt ſeruatur in Eccleſijs Collegiatis, in quibus ius conferendi beneficia ſpectat ad Capitulum, quod ad tollendas diſcordias in collatione, ſeù præſentatione, concorditer induxit turnum.

§. *Donatione*

Acquiritur etiam Iuſpatronatus ex donatione, quæ tamen debet eſſe approbata ab Epiſcopo, nec ſufficit approbatio Vicarij, etiam habentis generale mandatum. Franc. *in c. 2. n. 6. verſ. & aduerte de offic. Vicar. in 6.* Ferrett. *conſ.* 327. *num.* 7. qui loquitur In his terminis. Si verò donatio fiat Eccleſiæ, in qua eſt Iuſpatronatus, Eccleſia fit libera, nec requiritur aſſenſus Epiſcopi. Item nec requiritur, ſi donetur alteri Eccleſiæ, vel loco Religioſo. Item ſi compatrono donetur. *Lambertin. de Iurepatron. 2. part. 1. lib. 1. quæſt. princip. art. 12. per totum.* Pariſ. *de confident. quæſt.* 28. *num.* 184. Quando verò eſt facta donatio alteri, & eſt effectuata, præſumitur interueniſſe conſenſum Epiſcopi. Idem Lambertin. *vbi ſupr. art.* 8. Dec. *conſ.* 639. *num.* 3. *& ſeq.* Poteſt etiam donari Iuſpræſentandi, reſeruato ſibi Iurepatronatus in reliquis, cum iuſpræſentandi ſit vnus ex effectibus Iuriſpatronatus, & poteſt ab eo ſeparari Roch. de Curt. *in tract. de Iurepatr. in verb. ipſe, vel is num.* 35. Calderin. *conſ.* 19.

Non poteſt autem Iuſpatronatus vendi, aut mediante aliqua re temporali concedi, quia eſt ſimonia, & in pœnam amittitur omne ius, & Eccleſia remanet libera *c. quia Clerici, vbi gloſſ. & DD. de iurepatr.* Quamuis enim Iuſpatronatus non ſit ſpirituale, eſt tamen ſpiritualitati adnexum *c. quanto, de Iudic. c. de iure, de Iurepatr.* Idem autem de adnexis iudicatur, quod de principali, vt

vt in l. quæ religioſis ff. de rei vendic. Simonia autem nihil aliud eſt, niſi ſtudioſa cupiditas emendi, vel vendendi ſpiritualia, vel ſpiritualibus adnexa, *vt infr. de ſimon. in princ.* Sed ſi vendatur, vel alio modo transferatur Vniuerſitas Iurium, in qua ſit Iuſpatronatus, tunc Iuſpatronatus ſequitur per acceſſionem illam vniuerſitatem, non tamen debet alterari pretium propter Iuſpatronatus, quia eſſet ſimonia *c. ex litteris, & d. c. quia Clerici de Iurepatr.* vt ſi emam Caſtrum, in quo ſit Iuſpatronatus, venit etiam Iuſpatronatus, non in ipſa venditione, ſed per acceſſionem ſequitur rem ipſam venditam.

§. *Quemadmodum*

Textus dicit, quòd ſicut Epiſcopus non poteſt alium inſtituere, quàm præſentatum à Patrono, ſi ſit idoneus: ita etiam Patronus non poteſt propria auctoritate intromittere in Eccleſia Clericum ſub pœna Excommunicationis, & talis intromiſſio nulla eſſet, quia beneficia Eccleſiaſtica non poſſunt ſine inſtitutione Canonica obtineri *c. beneficium, de reg. iur. in 6.* Imò amittit Iuſpatronatus, quia plus vſurpat, quàm ad ſe pertineat ſecundùm gloſs. *in §. licet infr. hoc eod. tit. in verb. non debeat.*

§. *Interdum*

In hoc textu ponitur caſus, quod aliquis bona fide præſentauerit aliquem, credens ſe eſse Patronum, & præſentatus fuerit ab Epiſcopo inſtitutus, poſtmodum conſtitit per ſententiam latam ipſum non fuiſse Patronum, ſed alium, quæritur numquid inſtitutus ſit remouendus? Et videbatur dicendum quòd ſic, ex quo apparet non eſse iure præſentatum *ad tex. in l. non dubium C. de legib.* Sed hoc non obſtante contrarium deciditur. Et ratio deciſionis eſt, quia communis opinio præfertur veritati *l. Barbarius ff. de offic. Prætor.* Sic iſte, cum communiter reputaretur Patronus, dicitur iure præſentaſse facit *gloſſ. in c. plerumque de donat. int. vir. & vxor.* Quod autem legitimè factum eſt, irritari non debet *c. factum legitimè, de reg. iur. in 6.*

§. *Licet*

Patronus autem non poteſt præſentare ſe ipſum, neque ſe ipſum

inſtituere: ſicut collator ſibi met beneficium conferre non poteſt, quia inter dantem, & accipientem debet eſse diſtinctio perſonarum, nec vllus Eccleſiaſticis officijs ſe ſe vltrò immiſcere debet *c. per noſtras, de Iurepatr.* Tamen ſi Patronus ſit pauper, poteſt ſupplicare Epiſcopo, vt velit ipſum inſtituere, ſi ſit idoneus. Sic etiam Epiſcopus poterit ob paupertatem ſuæ menſæ applicare beneficium. Poteſt etiam Patronus præſentare filium ſuum. Abb. *in c. ex ore, de his quæ fiunt à mai. par. cap. & c. fin. de Inſtitut.* Poteſt etiam Compatronus ab alijs Compatronis præſentari. Idem Abb. *in c. quoniam, de Iurepatr.*

§. *Sunt autem*

Non valet promiſſio de non vacantibus Patronatibus: ſicut non valet collatio de non vacantibus beneficijs ſpecialibus, & determinatis, quia iſtæ promiſſiones, ſeù collationes continent in ſe votum captandæ mortis ad tex. *in l. ſtipulatio hoc modo concepta ff. de verb. obligat. & l. fin. C. de pact.*

§. *Diſſimiles*

Sunt autem inter ſe diſſimiles collatio, & inſtitutio, quia licet Capitulum ſede vacante non poſſit conferre beneficia, quæ ad collationem Epiſcopi pertinent: poteſt tamen præſentatos à Patronis ſi ſint idonei inſtituere; quia inſtitutio eſt neceſſaria. Idem in Vicario Epiſcopi, qui licet non poſſit conferre beneficia, niſi ſpecialiter ab Epiſcopo hoc ei mandetur: poteſt tamen inſtituere præſentatos à Patronis, ſi idonei ſint.

§. *Sunt etiam*

Eſt etiam differentia inter collationem, & inſtitutionem, quia Parrochialis Eccleſia non eſt conferenda niſi ei, qui ſaltem ſit Subdiaconus: ſed inſtitui poteſt ad præſentationem Patroni etiam qui in Sacris conſtitutus non ſit, dummodò alias ſit idoneus, & infra breue tempus à Iure conſtitutum promoueatur ad Ordines, qui requiruntur in Eccleſia, in qua inſtituitur.

§. *Defertur*

Dicitur in hoc §. quòd Patronus habet in Eccleſia honorem;

&

& vtilitatem, vt ſupr. innuimus: honorem, quia habet ius Proceſſionis: vtilitatem, quia ſi deueniunt ad paupertatem ipſe, vel eius filij, debet Eccleſia eis dare alimenta, de eo tamen, quod ſupereſt pro neceſſitatibus Eccleſiæ, & miniſtris, aut Monachis, ſed pinguius quàm alijs pauperibus, vt notat gloſs. *in can. quicunque il 2. 16. quæſt. 7. in verb. ad inopiam.*

§. *Tollitur*

Enumerantur in hoc tex. modi, quibus tollitur Iuſpatronatus. Et

Primo tollitur ceſſione, vt cum Patronus ipſi Eccleſiæ Ius, quod habet, cedit; quo caſu Eccleſia remanet libera *c. 1. de Iurepatr. in 6.*

Secundo ſi Patronus permittat Eccleſiam fieri Collegiatam ſine reſeruatione ſui Iuris.

Tertio ſi erat Patronus ob ædificationem, & Eccleſia corruerit, niſi illam de nouo ædificauerit.

Quarto ſi erat Patronus per dotationem, & domus v.g. quæ fuerat data in dotem corruerit, niſi nouam dotem aſſignauerit.

Quinto ſi Patronus vendiderit Iuſpatronatus eo modo, quo ſupra explicauimus.

Sexto ſi Patronus occiderit, vel mutilauerit Clericum ipſius Eccleſiæ, vel per ſe, vel per alium.

Septimo ſi Patronus fiat hæreticus, quia vt indignus non debet beneficium conſequi per illam, quam ita notabiliter lædit, ab ea recedendo: & etiam quia omnia bona hæretici confiſcantur, & propterea nihil retinet. Quo caſu ſi Iuſpatronatus eſt adnexum Caſtro, vel Palatio, & confiſcatio fiat à Principe Laico, illud Iuſpatronatus ſequitur Caſtrum, vel Palatium: ſi verò eſset ſeparatum ab Vniuerſitate bonorum, Eccleſia remanet libera. Card. *in Clem. plures num. 8. verſ. ſed dic, de Iurepatr.* Lambertin. *de Iurepatr. lib. 3. quæſt. 8. art. 8. num. 16. & num. 22.* Quod etiam procedit in crimine læſæ maieſtatis, pro quo intrat confiſcatio bonorum, prout tenent communiter DD.

De

De Clericis non reſidentibus

TIT. XXIX.

DIctum eſt de collationibus, & inſtitutionibus. Verum quia illi, quibus ſunt collata beneficia, vel qui ſunt in Eccleſia inſtituti, reſidere debent, meritò ſequitur præſens tit. vbi aſſignantur pœnæ, quibus non reſidentes afficiuntur.

Reſidentia autem eſt de Iure diuino, dum Chriſtus dixit Petro, Paſce oues meas *Ioan.* 21. Quamuis autem omnia beneficia cuiuſcunque generis ſint de ſui natura requirant reſidentiam: vniuerſalis tamen conſuetudo eſt in contrarium, vt in ſimplicibus beneficijs non ſit neceſſaria reſidentia, prout paſſim ſeruatur.

§. *Si tamen*

Pœna non reſidentium eſt priuatio beneficij, nam ſi Clericus monitus non reſideat, beneficio priuandus eſt *c. ex geſtis, & c. ex tua de Cleric. non reſid.* Permittitur tamen ex Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* obtinentibus in Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, vt per tres menſes in anno poſſint abeſſe, nec ad iſtam abſentiam trium menſium requiritur licentia Epiſcopi, cùm ab ipſo Conc. licentiam habeant. Vltra tres menſes verò non permittitur etiam vigore cuiuslibet ſtatuti, ſeù conſuetudinis, vt *ibid* dicitur. Pœna autem Epiſcoporum, & aliorum, qui habent adnexam curam animarum, non reſidentium, ponitur in *ſeſſ.* 6. *& ſeſſ.* 23. eiuſdem Conc. *in vtraque cap.* 1. *de reform.* ſuper quo eſt etiam *conſtitutio* 10. Pij IV.

§. *Iuſta*

Sunt autem quædam iuſtæ cauſæ non reſidendi, quarum Prima eſt, si quis sit in obſequio Romani Pontificis, eique inſeruiat; quia ſeruientes Papæ videntur ſeruire vniuerſali Eccleſiæ *c. cum dilectus, de Cleric. non reſid.* Inſeruientes verò Legato de latere, eodem priuilegio gaudent, quoad ſuam Prouinciam ſecundùm gloſs. *hic in verb. Romano Pontifici.*

Secunda cauſa eſt si quis inſeruiat proprio Epiſcopo, quod

etiam

etiam habet locum in alijs Prælatis inferioribus. Abb. *in c. de cetero, de Cler. non reſid.* non tamen lucrantur diſtributiones quotidianas, vt *ibi* dicitur.

Tertia cauſa eſt, ſi quis negotia ſuæ Eccleſiæ fideliter proſequatur *c. ex parte il 2. de Cleric. non reſid.*

Quarta cauſa eſt ſtudiorum; qui enim cauſa ſtudiorum abeſt, legitimè abeſse dicitur: non tamen gaudet diſtributionibus quotidianis, vt per gloſs. *in d. c. de cetero, in verb. victualia.* Hodie tamen, vt quis poſsit abeſse cauſa ſtudiorum requiritur licentia Ordinarij in ſcriptis. Non licet autem Parochis poſt Conc. Trid. abeſse à ſuis Eccleſijs cauſa ſtudiorum, nec Epiſcopus ad id licentiam concedere poteſt, & si conceſserit, minimè ſuffragatur cum hodie per Conc. præd. nemo admittendus ſit ad Eccleſiam Parochialem, niſi præuio examine, & approbatus tanquam idoneus, vnde iam ſupponitur ſtuduiſse, & ſic non debent abeſse ſub prætextu ſtudiorum.

Docentes verò Sac. Scripturam, cum publicè in Scholis docuerint, & ſcholares in ipſis ſcholis ſtudentes, priuilegijs omnibus de percipiendis fructibus præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia à Iure communi conceſſis plenè gaudent. Ita Conc. *ſeſſ. 5. cap. 1. de reform.* Eſt etiam Conſtitutio Bonifacij Octaui inſerta in Conſtitutione Leonis Decimi lata 5. Nouembris 1513. diſponens, quòd docentes, vel audientes in ſtudio Romano fructus, redditus, & prouentus occaſione ſuorum beneficiorum cum cura, & sine cura, etiam si horum aliquæ dignitates, vel perſonatus extiterint (quotidianis diſtributionibus dumtaxat exceptis) cum ea integritate percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in Eccleſijs, in quibus illa conſiſtunt, perſonaliter reſiderent, & ad reſidentiam non teneantur, nec ad id à quopiam poſsint compelli. Quam Conſtitutionem quamplures Summi Pontificis ſubſequentes confirmarunt. Sed in beneficijs habentibus annexam curam animarum aliter ſe habet poſt Conc. Trid. vt ſupr. diximus.

Poteſt eſse etiam alia iuſta cauſa non reſidendi, vt si quis corporali infirmitate teneatur, vel metu Tyranni in eo loco exiſtentis terreatur, vel si ibi sint inimicitiæ capitales, & similes, vt per gloſs. *hic in verb. ſimiles*, & per Abb. *in c. tanta, de exceſſib. Prælat.*

De

De Regularibus, & Monachis

T I T. X X X.

DIctum eſt de quibuſdam Seruis Dei, qui dicuntur Clerici, vt inquit gloſs. *in c. fin. de Cleric. venat.* Verùm quia ſunt alij Serui Dei, qui profitentur vota in Religione, qui dicuntur Regulares, & Monachi, ideo ponitur præſens tit.

Regulares dicuntur qui ſub certa regula viuere debent. Regulæ autem approbatæ ſunt quatuor, ſcilicet Baſilij, Benedicti, Auguſtini, & Franciſci. Landul. *in Clem. quia Regulares, de ſuppl it. negl. Prælat.* nec alia regula ſeruanda eſt, niſi à Papa ſit approbata.

Monachi dicuntur ex græco ideſt Solitarij, quia Monachus ſolitarius viuere debet, deditus vitæ contemplatiuæ, cum Regulares dediti ſint vitæ actiuæ. Præſtantior autem eſt vita contemplatiua, quàm actiua, vt Chriſtus Dominus innuit in Euangelio *Luc.* 10. in illis verbis, *Martha ſolicita es, & Maria optimam partem elegit,* per Martham ſignificans vitam actiuam, & per Mariam vitam contemplatiuam, vt explicant ſacri Interpretes, & præcipuè D. Auguſtinus *in ſerm. 27. de verb. Domin.*

§. *Monachi*

Monachi autem fiunt aut ex paterna deuotione, aut ex propria profeſſione, aut ex voti emiſſione.

Ex paterna deuotione fit Monachus, quando Pater filium ſuum impuberem Monaſterio offert. An verò hoc poſſit fieri matre contradicente, vel è contra, videte gloſſ. *hìc in verb. offert*, quæ refert plures caſus, & concludit communem opinionem eſſe, quod præferatur voluntas contradicentis. Impubes autem, aut oblatus in hoc caſu debet moneri in decimoquinto ætatis anno, & inquiri vtrùm in ipſo habitu permanere cupiat. Hodie verò hoc eſt reformatum per Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *ſub tit. de Regular. & Monialib. cap.* 15. vbi ſunt hæc verba, *In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum profeſſio non fiat ante decimumſextum annum completum, nec qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel*

reli-

religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcunque effectus. De Monialibus autem in eodem tit. ſtatutum eſt quid agendum ſit, vt libertati profesſionis earum conſultum ſit. Et *in cap.* 18. imponitur pœna excommunicationis contra quaſcunque perſonas, quæ coegerint mulierem quamcumque inuitam, præterquam in caſibus à Iure expreſſis, Monaſterium ingredi, cuiuſcunque Religionis habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere: ſicut etiam eadem pœna adſtringit eos, qui ſanctam Virginum, aut aliarum mulierum voluntatem circa prædicta ſine iuſta cauſa impediuerint.

§. *Quòd ſi impubes*

Quòd ſi impuberes contra voluntatem parentum Monaſterium fuerint ingreſſi, parentes poſſunt infra annum reclamare, & ingreſſum irritare. Sed an poſſint etiam Tutores? & poſſunt, vt inquit gloſſ. *hic*; quia tutor debet defendere perſonam pupilli. Curator verò, quia datur non perſonæ principaliter, ſed bonis, non poterit. Ratio autem eſt, quia in impubere conſideratur imbecillitas mentis, qua non poteſt perfectè deliberare. Validum tamen videtur illud argumentum, quòd ſi impubes peccando, dum habet conſenſum, poteſt obligari diabolo, poterit etiam vouendo religionem, vel extra religionem obligari Deo etiam ſine conſenſu parentum. Sed poteſt reſponderi, quòd per peccatum non ita obligatur diabolo, vt non poſſit liberari per confeſſionem, & pœnitentiam: ſed ſi obligetur Deo, & Religioni per profeſſionem, aut per votum, non poteſt amplius liberari.

Puberes verò poſſunt ingredi Monaſterium abſque conſenſu parentum, nec in hoc attenditur patria poteſtas; vbi enim Spiritus Dei eſt, ibi libertas eſt *c. ſane de Regularib.*

§. *Propria*

Ex propria profeſſione poteſt quis fieri Monachus vel expreſsè, vel tacitè.

Expreſsè, vt ſi quis poſt annum probationis habitum ſuſcipiens Monachalem regulis Monaſterij adſtringi ſe velle expreſsè profitetur. Ad quam profeſſionem plura requiruntur, ſcilicet quòd Profeſſus compleuerit decimum ſextum annum tam maſculus, quàm fœmina: quòd profeſſio fiat ei, qui poteſt Religioni incorporare, nempe Superiori, vel de eius licentia. In-

noc. & Abb. *in c. correctum, de Regularib.* quòd Religio ſit approbata *c. vnic. de vot. in 6.* quòd ſiat de tribus votis, ſcilicet obedientia, caſtitate, & paupertate quia hæc tria ſunt de ſubſtantia Religionis *c. cum ad Monaſterium, de ſtat. Monac.* Item quòd votum ſiat alicui Religioni certæ Abb. *vbi ſupr.* & demum quòd Prælatus requirat conſenſum Capituli. *gloſſ. in §. ſeq. in verb. Abbatum.*

§. *Si tamen*

Dicitur in textu quòd Abbas poteſt diſpenſare circa annum probationis, vt antè annum quis faciat profeſſionem. Hoc tamen hodie eſt correctum, quia Conc. Trid. non admittit profeſſionem factam ante annum probationis completum; imò illam annullat. Et hoc fuit inductum ad euitandam apoſtaſiam, in quam facilè quidam incurrebant, qui inconſultò profeſsionem emittebant, niſi talis receptio eſset commiſsa per Papam alicui Executori.

§. *Quemadmodum*

Quamuis Abbas non poſsit reſtringere annum probationis, poteſt tamen illum prorogare arbitrio ſuo, qui annus ad emittendam profeſsionem in Religione debet eſse continuus, & non interpolatus.

Si verò quis incognitus velit Monaſterium ingredi, non debet recipi ad profeſsionem, niſi lapſo triennio, quia poſset poſtea ſeruus apparere, & à Domino vendicari. Lapſo autem triennio, & emiſsa profeſsione, ſit liber. *can. ſi ſeruus il 2. 54. diſt.* Et videtur quòd iſta ſit quædam vſucapio facta ab Eccleſia exiſtente in bona fide in odium Domini non perquirentis res ſuas; & quamuis hic ſeruus eſset fugitiuus, tamen quia non eſt propriè furtum regulare, Eccleſia poterit præſcribere.

§. *Quin imò*

Seruus verò ordinatus ignorante Domino si ſiat Monachus, ſit liber, aliàs redditur Domino intra annum probanti eſse ſeruum ſuum.

§. *Quod*

§. *Quod tamen*

Quod dictum eſt ſupra in §. si tamen, hic limitatur, quia Fratres Prædicatores, Minores, & alij Mendicantes non poſſunt emittere profeſsionem ante lapſum annum probationis, & recipientes talem profeſsionem puniuntur *c. 2. & 3. de Regularib. in 6.* Hoc tamen hodiè indiſtinctè procedit in omnibus per decretum Sac. Conc. Trid. vt ſupr. diximus

§. *Tacitè*

Tacita profeſsio in Religione fit, cùm per idoneas coniecturas apparet, quòd perpetuò vult quis Deo ſeruire in Religione, vt quia ipſe met hoc dixit expreſsè, & ita confeſsus eſt, vel cum poſt annum probationis confitetur, quòd vult relinquere ſeculum, vel quia renunciauit beneficio, quod obtinebat, non proteſtans quòd per hoc non intendit dimittere ſeculum, vel quia de bonis proprijs diſponit, *vt notatur in c. conſuluiſti, & in c. ſtatuimus, de Regular.* Vel quia retinet poſt annum probationis habitum, per triduum ipſum deferendo, qui habitus non ſit diſtinctus ab habitu Profeſſorum, vel etiam ſi habitus Profeſſorum ſit diſtinctus in colore, vel in ſciſſura, illum ſcienter ſuſceperit, ſciens ſe per ſuſceptionem ipſius obligari Religioni, & triduò in ipſo permanſerit. *Clem. eos qui, de Regular. & ibi gloſſ.*

§. *Vtrùm*

Diſcrimen eſt inter expreſſam, & tacitam profeſſionem, quia expreſſa obligat illi præcisè Religioni, quam quis profitetur: tacita verò obligat ſolùm Religioni in genere; vnde poterit aliam Religionem ingredi.

§. *Et ſi contigerit*

Beneficium non vacat per ingreſſum Religionis ante profeſſionem, quæ tamen profeſsio cum ante decimum ſextum annum completum fieri non poſſit, nec beneficium intelligitur vacare, etiam ſi facta ſit profeſsio ante illam ætatem. Ita Conc. *ſeſſ.* 25. *de Regularib. & Monialib. cap.* 15. Nec obſtat ad hoc *text. in c. ex tranſmiſſa, de renunciat.* vbi dicitur, quòd valet collatio facta de

beneficio eius, qui ingreſſus fuit Religionem ante annum probationis; quia Hoſtienſis dicit quod ibi fuit facta collatio de conſenſu ipſius ingreſſi, & ita per renunciationem, alias ille text. non faceret ad materiam tit. de renunciat. Durante verò tempore probationis per alium inſeruiendum erit beneficio, aſſignata illi congrua portione prouentuum, de conſenſu tamen ingreſſi.

§. *Is quoquè*

Tertio modo fit quis Monachus per voti emiſſionem, quoniam vouens Religionem compos mentis cogitur adimplere votum; eſt enim votum ſpontanea, & deliberata promiſſio facta Deo de his, quæ Dei ſunt. D. Thom. 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 1. Dicitur compos mentis, quia corporis infirmitas quamtumuis grauis non inducit nullitatem actus *d. c. ex tranſmiſſa*, vbi Abb. facit text. *in l. ſanum mente C. de tranſact.* Vnde qui vouit Religionem, etiamſi poſt votum adeptus fuerit Prælaturam, debet cogi ad ingrediendum Religionem, & dimittere Prælaturam; licet ſi poſt ingreſſum Canonicè fuerit electus Epiſcopus, Epiſcopatum recipere poſſit *c. per tuas de vot. & vot. redempt.*

§. *Illud quæri*

Quæri poteſt. Si quis vouit ingredi certam Religionem, & poſtea aliam ingrediatur laxiorem, & in ea profeſſionem emittat, vtrum teneatur exire, & ingredi illam ſtrictionem? Et videbatur dicendum quòd ſic, ex quo votum non videtur præcisè adimpleuiſſe. Hoc tamen non obſtante contrarium deciditur, quia votum ſolemne, quod emiſſum eſt in laxiori, derogat voto ſimplici; nam per votum ſimplex quis obligatur ſolùm Deo: ſed per votum ſolemne obligatur Deo, & Religioni. Duo autem vincula magis ligant, quàm vinculum vnum *l. penult. C. de adoption.* Verum imponitur ei pœnitentia ſalutaris, quia non impleuit præcisè votum ſimplex. Diſcrimen autem inter votum ſimplex, & ſolemne eſt, quod ſolemne eſt comprobatum per profeſſionem tacitam, vel expreſſam: ſimplex verò nulla eſt profeſſione munitum. *c. vnic. de vot. in 6.*

§. *Is igitur*

Is, qui in legitima ætate conſtitutus induit habitum religio-
ſum

ſum, nempe Profeſſorum, cogitur in proprio Monaſterio manere, in quo debet caſtitatem ſeruare, & obediens eſſe ſuo Superiori, niſi tamen habeat cauſam, propter quam dicat profeſſionem eſſe nullam intra quinquennium, eamque probauerit coram Superiore illius Monaſterij, in quo profeſſus eſt, ſeu coram Ordiuario loci, in quo illud Monaſterium exiſtit; alias ſi nullam habens cauſam exeat de Religione, tanquam apoſtata puniendus eſt.

§. *Sed nec aliquid*

Sic etiam paupertatem profiteri debet Monachus; vnde nil proprium habere poteſt, & ſi habet, incontinenti debet renunciare. Conc. autem *d. ſeſſ.* 25. *de Regular. & Monial. cap.* 16. diſponit, quòd nulla renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcunque piæ cauſæ valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, & non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſequuta profeſſione: aliter verò facta, etiam cum expreſſa renunciatione diſpoſitionis illius *cap.* 16. Concilij, etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus. Si verò non ſit facta renunciatio, & Monachus emittat profeſſionem, ſtatim acquiritur Monaſterio *auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ.* quæ auth, eſt canonizata *in can. quia ingredientibus* 19. *quæſt.* 3. Poſſunt tamen Monachi, & Moniales habere redditus vitalitios, quos de more parentes diuites ſolent eis aſſignare de licentia ſui Superioris, vt pro ſuis rebus neceſſarijs vtantur illo reddith: ſed nullatenus alteri dare poſſunt, neque pro eleemoſina. Nauarr. *de Regular. com.* 2. *num.* 15. Cherubin. *ad bullam tertiam Benedicti duodecimi*.

Ex hoc colligitur quòd Monachus non poteſt facere teſtamentum; ad hoc enim, vt quis teſtari poſſit, requiritur, vt habeat bona propria *d. can. quia ingredientibus*, & *ſeq.* Quod ampliatur; etiam ſi conſuetudo, vel Statutum eſſet, quòd habilitaret filiumfamilias ad teſtandum, quia non poteſt habilitare Monachum; hoc enim repugnat regulæ Monaſticæ *c. cum ad Monaſterium*, *de ſtat. Monachor.* nam abdicatio proprietatis eſt inſeparabilis à regula Monaſtica omninò, vt dicitur in hoc textu per vos videndo, cum ſuis gloſſis.

§. Sed

§. *Sed nec temere*

Monachus licet non poſſit exire de Monaſterio, in quo profeſſus eſt, poteſt tamen tranſire in ſtrictiorem Religionem, ad quod requiritur licentia Superioris, vt Prioris, vel Abbatis per gloſſ. *in c. intelleximus, de ætat. & qualit. c. licet, de Regularib.* & quamuis illam non obtinuerit, poteſt nihilominus tranſire, etiam ſi primum Monaſterium ſit priuilegiatum, quòd de illo ad aliud etiam ſtrictius, aut arctius tranſitus fieri non poſſit. Et ratio eſt quam alibi diximus, quia vbi ſpiritus Dei eſt, ibi libertas eſt, quæ ratio ponitur in illo textu.

Sed in contrarium videtur eſſe textus *in d. c. intelleximus*, vbi probatur quòd Religioſus tranſiens etiam ad ſtrictiorem Religionem ſine licentia Prioris, vel Abbatis, reuocandus eſt ad priorem Religionem.

Gloſſ. *in d. c. intelleximus, in verb. curam*, pluribus modis Reſpondet. Primo, quod id fecit ille Monachus cauſa leuitatis, Secundo quòd ibi fuerat tantùm in habitu probationis. Tertio quòd Religio, in quam ingreſſus fuerat, erat laxior. Sed vltima reſponſio verior eſt, ſcilicet, quòd in illo caſu non fuerit petita licentia à Superiore; nam ſi fuiſſet petita, & non obtenta, non reuocaretur, & ſic reuocatus fuit ob ſuam temeritatem.

§. *Quòd ſi fortè*

Quando dubitatur, an Religio, in quam vult Monachus tranſire, ſit arctior, Abbas ipſe erit Iudex. Sciendum autem eſt quòd Sixtus Quintus *conſt.* 23. diſpoſuit, quòd Religioſus non poſſit tranſire de vno ad aliud Monaſterium ſine licentia in ſcriptis ſui Superioris, & ideo non recipiatur, niſi ſit cognitus, nec etiam tanquam hoſpes, neque ſi dicat ſe confugere ad Sanctam Sedem; quod etiam Romæ ſeruari debet, vt nemo recipiatur ſine tali licentia: ſed ad Congregationem Cardinalium ſuper negotijs Epiſcoporum, & Regularium, vel ad Protectorem Religionis remittatur.

§. *Mendicantibus*

Fratres mendicantes hodiè non poſſunt tranſire niſi in Ordinem Chartuſianorum, niſi ſit ſpecialis conceſſio Papæ, ſub

pœna

pœna excommunicationis tam in alium Ordinem ingredientibus, quàm illos recipientibus.

§. *Fugitiuos*

Abbates debent perquirere ſuos ſubditos fugitiuos, & opportunis remedijs efficere, vt ad Monaſterium, & meliorem vitam reuertantur; aliàs Ordinarij ipſi id agere debent tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ. Conc. autem *ſeſſ. 6. cap. 3. de reform. & ſeſſ. 25. per totum tit. de Regularib. & Monialib.* de hac materia diſponit.

Nulli autem Regulares poſſunt habere beneficia curata ſine diſpenſatione Papæ, neque in perpetuum, neque ad tempus. Paulus Quartus *conſt.* 28. & ita eſt de obſeruantia. Mandoſ. *de Signat. Grat. tit. diſpenſatio Monachorum*. Gonz. *ſup. 8. reg. gloſſ. 6. num.* 53.

§. *Vt autem*

Ponitur in hoc textu quomodò, & qualis ſit eligendus aliquis in Abbatem, nempe quod debet eſſe de eadem Congregatione Monachorum, & eſſe magis idoneus, vt Monaſterio præſit. Clericus autem ſecularis non poteſt eligi *c. cum ad noſtram, de elect.* Præterea, debet eſſe expreſsè profeſſus *c. cum in magiſtrum de elect.* Quomodò autem ſit eligendus ponit Conc. *ſeſſ.* 25. *cap. 6. de Regular. & Monial.*

Sed dubitatur quid ſi in eadem Congregatione non reperiatur aliquis idoneus, an poſſit eligi alius de alio Monaſterio? Et dicitur quòd ſic. Iſte autem ſic electus non habet amplius vocem in priori Monaſterio. Abb. *in c. conſtitutus, de elect.* Debet autem eligendus in Abbatem ſaltem incæpiſſe annum vigeſimum quintum, & eſſe Presbyter *c.* 1. *de elect.* Abbatiſſa etiam debet eſſe expreſsè Profeſſa ſaltem per octo annos, & debet eſſe maior quadraginta annis. Idem de Prioriſſa, Præfecta, vel Præpoſita, vel Præſide. Quòd ſi de ijs qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poterit. Poteſt etiam eligi Monialis maior triginta annis, quæ quinque ſaltem annis poſt profeſſionem laudabiliter in eo Monaſterio vixerit, conſentiente tamen Epiſcopo, vel alio Superiore. Nemo tamen duobus Monaſterijs præfici debet, niſi eſſent inter ſe connexa.

§. Et

§. *Et propterea*

Qni non eſt profeſſus non poteſt eligi in Abbatem. *c. nullus & c. indemnitatibus in princ. de elect. in 6.* Idem dicitur quoad alias Prælaturas Regularium. Qui tamen non eſt Profeſsus poterit eligi in Epiſcopum, dummodo ſit in Sacris.

§. *Viſitatores*

In eodem autem Capitulo, in quo eligitur Abbas, debent etiam eligi Viſitatores, qui de ſtatu Monaſteriorum, & de eorum obſernantia diligenter inquirant, & corrigant, etiam cum poeſtate circa ſpiritualia *c. penult. & vlt. de ſtat. Monachor.* vbi plura tde hoc

§. *Nouiſſimè*

Eſt autem adnotandum, quòd nemo poteſt fundare nouam religiondm, quod intelligitnr ſine licentia Papæ *Clem. 1. de relig. domib. c. vnic. de relig. domib. iu 6. & in extrau. Sancta Romana de relig. domib,* vbi nec Epiſcopi poſſunt id concedere, ſed ſolus Pàpa, & eſt impoſita pœna excommunicationis. Regulæ autem approbatæ ſunt illæ quatuor, Baſilij, Benedicti, Auguſtini, & Franciſci, vt diximus, ſub quibus omnes aliæ militant, exceptis Chartuſienſibus, qui proprias habent regulas.

§. *Similiter*

Hoc etiam intelligitur de eo, qui fundare intendit nouam religioſam domum; debet enim aſſumere regulas, & inſtitutiones de approbatis. Et iſte textus intelligitur etiam de noùo ordine viuendi, & Congregatione; quia etiam de Iure Ciuili ſunt prohibita Collegia ſine Principis auctoritate, *vt toto tit. ff. de Colleg. & Corporib. illicitis*. Sed cum auctoritate Epiſcopi poſſunt erigi noua Oratoria tam pro Secularibus, quàm pro Eccleſiaſticis, ſicut etiam Eccleſiæ ædificari poſſunt, vt habetur *in tit. de conſtruend. Eccleſ.*

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER SECVNDVS

De Rerum Diuiſione Atque illarum adminiſtratione

TIT. I.

DIctum eſt de Perſonis in primo libro, ſequitur de Rebus, quæ ſunt ſecundum ſubiectum Iuris Canonici. Agitur autem de rebus Eccleſiaſticis, prætermiſſis Laicalibus, quibus non ſtudet Eccleſia.

Rerum autem Eccleſiaſticarum prima diuiſio eſt, quòd quædam ſunt ſpirituales, & quædam temporales.

Spirituales ſunt, quæ ſpiritui deſeruiunt, & animæ cauſa ſunt inſtitutæ, vt Sacramenta, Eccleſiæ, Altaria, & ſimilia.

Temporales ſunt, quæ non tam ſpiritus, quàm corporis gratia: & non tam pro Eccleſiaſticis miniſterijs, quàm pro Sacrorum Miniſtrorum vſu ſunt comparatæ, vt ſunt prædia, domus fructus decimarum, & ſimilia.

S. *Rurſus*

Rerum autem Spiritualium quædam ſunt corporales, quæ humanis ſenſibus percipi poſſunt, vt ſunt Sacramenta, res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ: quædam ſunt incorporales, quæ ſenſu corporis percipi non poſſunt, vt ſunt virtutes, & dona Dei, & quæ in Iure conſiſtunt, vt ſunt electio, collatio, inſtitutio, Iuſpatronatus &c.

Prius autem agendum eſt de rebus ſpiritualibus, & deinde de

temporalibus, earumque adminiſtratione. Et inter ſpirituales cùm de incorporalibus tam ſupra in primo libro nonnulla dixerimus, quàm infra aliquid dicturi ſimus, nunc de corporalibus tractationem inſtituere debemus; & primò de Sacramentis, ac deinde de rebus ſacris, ſanctis, ac religioſis.

De Sacramentis

TIT. II.

SAcramentum in genere ſignificat omne id, quòd rem ſacram continet. Sic Iuramentum dicitur ſacramentum, quia diuini nominis inuocationem continet, *auth. Sacramenta puberum C. ſi aduer. vendit.* In ſpecie verò Sacramentum in Eccleſia eſt ſignum rei ſacræ, quia ex aliqua re viſibili deſignatur gratia Dei inuiſibilis. Sic panis, qui eſt cibus ſubſtantialis corporis, deſignat cibum animæ, qui eſt Corpus Chriſti. Sic aqua, quæ abluit corpus, deſignat gratiam abluentem animam ab omni macula &c.

Sacramenta autem ſunt inſtituta tanquam medicina noſtri vulneris, quia cum homo ſpirituali morbo laboraret, Chriſtus Dominus tanquam cæleſtis Medicus ſuſcepit illius curationem. Morbus verò fuit originalis culpa, cuius origo licet principaliter fuerit ex conſenſu rationis, occaſionem tamen ſumpſit ex ſenſibus carnis. Ad hoc ergo vt medicina correſponderet morbo, oportuit non ſolùm eſse ſpiritualem, verùm etiam habere aliquid de ſenſibilibus ſignis, vt ſicut ſenſibilia fuerunt animæ occaſio labendi, ita ei eſsent occaſio reſurgendi; & propterea medicina noſtri vulneris conſiſtit in Eccleſiaſticis Sacramentis.

Ponitur primo loco in textu definitio Sacramenti, quæ talis eſt. Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ita quòd eius ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtat. Quæ vltima verba addita ſunt ad deſignandam differentiam inter Sacramenta legis veteris, quæ ſignificabant gratiam, ſed eam non conferebant: & Sacramenta nouæ legis, quæ ſignificant, & conferunt gratiam. Conc. Trid. *ſeſſ. 7. ſub tit. de Sacram. can. 2. 6. & 7.*

Quatuor autem in vnoquoque Sacramento ſunt neceſsaria. Primo elementum, ſeù debita materia. Secundo forma verborum. Tertio miniſter idoneus. Quarto intentio miniſtrantis.

§. Sa-

§. *Sacramentorum*

Sacramenta quædam ſunt neceſsaria, quæ ſine interitu ſalutis æternæ prætermitti vel contemni non poſsunt, vt baptiſmus, confirmatio, pœnitentia, euchariſtia, & extrema vnctio: & quædam ſunt voluntaria, quæ pro arbitrio poſsunt recipi, aut non recipi, vt ordo, & matrimonium.

Item neceſſariorum quædam ſunt ad ingreſſum, vt baptiſmus: quædam ad progreſſum, vt confirmatio, pœnitentia, & euchariſtia: quædam ad egreſſum, vt extrema vnctio.

Præterea quædam imprimunt characterem, ideſt ſignum quoddam ſeù qualitatem ſpiritualem indelebilem in anima recipientis impreſſam, per quam recipiens diſtinguitur à ceteris, vt baptiſmus, confirmatio, & ordo; & ita reiterari non poſſunt. Conc. *ſeſſ. 7. can. 9. de Sacram. in gen.* Alia verò non imprimunt, & conſequenter poſſunt reiterari.

Septem itaque ſunt Sacramenta nouæ legis, ſecundùm ſeptem diuerſitates perſonarum in Eccleſia. Primum eſt intrantium, vt baptiſmus. Secundum eſt pugnantium, vt confirmatio. Tertium eſt vires reſumentium, vt euchariſtia. Quartum eſt reſurgentium, vt pœnitentia. Quintum eſt exeuntium, vt extrema vnctio. Sextum eſt miniſtrantium, vt ordo. Septimum eſt nouos milites introducentium, vt matrimonium.

Sunt etiam ſeptem, quia diſponunt ad ſeptem virtutes, tres Theologales, & quatuor Cardinales acquirendas ſcilicet baptiſmus ad fidem: confirmatio ad ſpem: euchariſtia ad charitatem: pœnitentia ad iuſtitiam: extrema vnctio ad perſeuerantiam, quæ eſt fortitudinis complementum: ordo ad prudentiam: matrimonium ad temperantiam.

§. *Conſtant*

Sacramenta autem conſtant elemento, & verbis, Elementum, ſeù materia accipitur *hic* pro omni eo, quòd eſt ſub viſibili natura, inuiſibilem gratiam deſignans. Verba autem ſunt pro forma, quibus elemento, ſeù materiæ accedentibus fit Sacramentum. Sic aqua in baptiſmo, quæ profuſa tangit corpus, dum proferuntur illa verba, ego te baptizo &c. fit Sacramentum; aqua verò antea, vel poſtea profuſa quàm proferantur verba, non eſt Sacramentum.

§. *Illud quoquè*

Sacramenta verò inſtituit Chriſtus Dominus tanquam nouæ legis lator; dicuntur tamen Sacramenta Eccleſiæ, quia illis Eccleſia vtitur, & per illa ſanctificata eſt. Sacramenta autem operantur, & infundunt gratiam ex opere operato, non ex opere operantis. Conc. *loc. ſupr. cit. can.*8. Vnde etiam ſi malus ſit miniſter, imo etiam ſi eſſet hæreticus, nihilominus ſi habet intentionem neceſſariam, conficit Sacramentum, quod confert gratiam. Hæc autem intentio non requiritur quod ſit expreſſa, ſed ſufficit tacita, ideſt habere intentionem faciendi id, quod facit Sancta Mater Eccleſia.

De Baptiſmo, & eius effectu

TIT. III.

INter Sacramenta baptiſmus eſt ianua, ideo prius de illo ponitur.

Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa verborum forma interiorem animæ ablutionem deſignat, & operatur. Forma autem verborum eſt. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Quæ forma nullo modo alterari poteſt, & debet exprimi in ipſo actu infuſionis aquæ. Dicitur autem ablutio, quia abluit animam ab omni peccato, & præcipuè delet originalem culpam, eiuſque pœnam; quamuis remaneat fomes ad pugnandum, vt glorioſiùs mereamur coronari.

Dubitatur autem numquid per baptiſmum tollatur pœna temporalis ex delicto impoſita. Et variæ ſunt DD. opiniones, quas congerit Ceuall. *in ſuis commun. con. comm. quæſt.* 294. Sed communior eſt, quòd non tollatur, vt refert Cucch. *lib.* 5. *Inſtit. Canonic. tit. de baptiſm. num.* 111. & 112. Monet tamen magnam pietatis, & religionis laudem conſecuturos Principes, qui pœnas in gratiam baptiſmi remittunt.

§. *Baptizandi*

Miniſterium baptizandi pertinet ſolùm ad Sacerdotes: ſed in

caſu

caſu neceſſitatis poteſt quilibet alius, etiam mulier baptizare, dum tamen ſubſtantialia requiſita intercedant, quæ ſunt quinque.

Primum eſt expreſſio formæ vocalis à Chriſto Domino inſtitutæ, ſcilicet Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quæ forma nullo modo commutari, ſeù præpoſterari poteſt; Vnde non poteſt dici, Ego te immergo, pro baptizo: nec dici in nomine potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis, pro in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Si quis verò ignorans linguam latinam, proferat verba corrupta: v. g. in nomine patria, & filia & ſpiritua ſancta, valet baptiſmus, vt dicitur *in can. retulerunt, de conſecr. diſt.* 4. Non tamen valeret, ſi proferret verba corrupta propter hæreſim, vt ibi dicitur.

Secundum requiſitum eſt ablutio per elementum aquæ cuiuſlibet, dummodo ſit naturalis, vel maris, vel fluminis, vel fontis, vel putei, vel frigidæ, vel calidæ, ſaltem in digniori parte corporis, ſcilicet in capite.

Tertium eſt, vt eodem tempore fiat ablutio, & verborum prolatio ab eodem.

Quartum eſt intentio ſpecialis, vel generalis miniſtri, ſpecialis, vt qui abluitur, mundetur: generalis, faciendi quod intendit Eccleſia.

Quintum eſt fides baptizandi, in adulto propria, in paruulis aliena, nempe Patrini, & Eccleſiæ

Reliqua, quæ in baptiſmo interueniunt, non ſunt de ſubſtantia, ſeù neceſſitate, ſed ſolùm de ſolemnitatibus, vt ſal, oleum, ſaliua &c. Quid verò ſi extra caſum neceſſitatis alius præterquam Sacerdos baptizaret, an valeat baptiſmus? Et dicitur quod ſic. Punitur tamen baptizans ex eo quod vſurpauit ſibi munus Sacerdotis. Abb. *in c. quanto, de conſuetud.* Si verò quis decedat non baptizatus ex Sacerdotis negligentia, talis Sacerdos punitur pœna depoſitionis *can. neque* 1. *quæſt.* 1. vt per gloſſ. *hic*

§. *Sed & ſi qui*

Baptizatus ab hæretico, vel à pagano, aut à quouis peccatore cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, & mundandi ipſum, qui baptizatur, non eſt denuò baptizandus, quia auctoritate legis dicitur baptiſmus collatus. Hæretici autem ab hæreticis baptizati, qui redeunt ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ debent

bent vel vnctione Chriſmatis, vel manuum impoſitione; vel fidei profeſſione recipi.

§. *Sed quamquam*

Nemo poteſt ſe ipſum baptizare, quia cum iſta ſit ſpiritualis regeneratio, debet eſſe ad ſimilitudinem carnalis generationis, in qua alius eſt generans, alius genitus; & ideo in forma verborum, ponitur illa particula, te, ſed numquid ſit neceſſe quod baptizans præcedat ætate baptizandum? Et aliqui dixerunt quod ſic. Tamen Abb. *in c. debitum, hoc eodem tit.* tenet hoc non eſſe de ſubſtantia baptiſmi.

Quid verò ſi quis in mortis articulo ſe ipſum baptizaret; num quid proſit iſte actus ad ſalutem? Et dicitur quod ſic quia eſt baptiſmus flaminis. Triplex enim eſt baptiſmus, fluminis, flaminis, & ſanguinis. Primus eſt per aquam, cum requſitis ſupra enumeratis. Secundus eſt ex ardore, & vehementi deſiderio baptizandi. Tertius eſt ille qui contingit in Martyribus. Vnde ſi quis conſtitutus in articulo mortis ſe baptizaret, & ſtatim decederet, ſaluus eſſet propter fidem Sacramenti, licet non habuerit Sacramentum fidei. Si verò periculum euaderet, denuò ab alio baptizandus eſſet, vt haberet ipſum Sacramentum.

§. *Non tamen*

Dicitur quòd non ſolùm adulti in fide propria: ſed etiam paruuli in fide parentum, & Eccleſiæ baptizari poſſunt; & ſicut paruuli circumcidebantur, ita etiam baptizari debent, cum baptiſmus ſit generalior, ex quo tam fœminæ, quàm maſculi baptizantur. Et ſi quis dixerit neminem eſse baptizandum, niſi in ea ætate, in qua baptizatus eſt Chriſtus Dominus, vel in ipſo mortis articulo, eſt anathema Conc. *ſeſſ. 7. de baptiſm. can.* 12. Item ſi quis dixerit, paruulos ex eo quia actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmate inter fideles computandos non eſse, & propterea cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſse rebaptizandos, aut præſtare potiùs omitti eorum baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, eſt anathema. Conc. *ibid. can.* 13. Item ſi quis dixerit, huiuſmodi paruulos, cùm adoleuerint, eſse interrogandos, an ratum habere velint quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſse arbitrio re-

linquendos, nec alia pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, eſt anathema. *can.* 14.

§. *Is quoquè*

Dicit textus quòd ſi mulier prægnans baptizata ſit, vel in ea hora, qua parit, adhuc infans qui naſcitur, baptizari debet, quia non dicitur baptizatus ſimul cum matre; vbi enim non præceſſit generatio, non poteſt eſſe regeneratio. Nec obſtat quod partus exiſtens in vtero ſit portio viſcerum maternorum *l. 1. ff. de ventr. inſpiciend.* quia hoc verum eſt quoad carnem, non autem quoad ſpiritum; ſunt enim diuerſi ſpiritus, & diuerſæ animæ.

§. *Muti*

Muti, & ſurdi poſſunt baptizari, etiam quòd ſint adulti, ſi oſtenderint voluntatem recipiendi baptiſmum. Item ægrotantes etiam in mortis articulo; nec metus mortis impedit quò minus characterem recipere dicantur *can. paruuli, & can. ægrotantes de conſecr. diſt. 4.*

§. *De dormientibus*

Item dormientes, & amentes, qui antea habuerint propoſitum baptizandi, poſſunt baptizari, & ſuſcipiunt characterem, ſed quid ſi poſtea excitati à ſomno qui non habuerunt propoſitum antea, habuerint poſtea ratum quod factum eſt ipſis dormientibus, vtrum proſit illis baptiſmus collatus dum dormiebant? Et dicitur quòd non. Quapropter ſunt iterum baptizandi, vt notatur *in c. maiores hoc cod. tit.*

§. *Sed & ſi quis*

Qui per metum mortis baptizatur, recipit characterem, & compellitur ad obſeruantiam Chriſtianæ fidei, quia voluntas coacta voluntas eſt *l. ſi mulier §. ſi metu il 2. vbi etiam gloſſ. in verb. volui ff. de eo quod met. cauſ.* Secus ſi quis expreſsè contradicat, quia tunc nulla voluntas eſt.

§. *Illud*

§. *Illud in dubium*

Dicitur in hoc §. quod ille, de quo non eſt præſumptio vehemens, quod ſit baptizatus, poterit baptizari ſub conditione, ſcilicet ſi non es baptizatus, ego te baptizo &c. prout contingeret in filio nato ex parentibus Chriſtianis inter Infideles. Qui verò natus eſt ex parentibus Chriſtianis inter Chriſtianos eſt præſumptio quòd ſit baptizatus, quæ præſumptio pro veritate habetur, dummodo non agatur de alterius præiudicio; quia tunc iſta præſumptio non probaret, ſed requireretur plena probatio, vt per gloſs. *hìc in verb. indicia*.

§. *Quod ſi quis ſciens*

Iterantes ſcienter baptiſmum puniendi ſunt. De Iure Canonico debent pœnitere ſeptem annis, & ieiunare tribus Quadrageſimis, & certis alijs diebus, vt dicitur *in can. qui bis ignoranter de conſec, diſt.* 4. de Iure verò Ciuili eſt pœna vltimi ſupplicij *l.* 2. *C. ne ſanct. baptiſm. reiter.* Et ſi quis dixerit baptiſmum eſse reiterandum, eſt anathema *Conc. ſeſſ. 7. de baptiſm, can.* 11. Si quis verò ignoranter rebaptizetur, non poterit ordinari, niſi ex magna neceſſitate.

§. *Poſtremò*

Alia etiam requiruntur in baptiſmo, quæ tamen non ſunt de ſubſtantia, ſed ſolùm de ſolemnitate: non poſſunt tamen omitti ſine peccato, vt numerus immerſionis, exorciſmi, exſufflationes, ſalis benedicti exhibitio, ſalinæ contactus, & inunctio.

§. *Illud etiam*

Baptiſmus autem eſt conferendus in Eccleſijs, in quibus ad hoc ſunt ſpecialiter deputati fontes baptiſmales; non autem debet conferri in priuatis domibus, niſi ſint filij Regum, vel Principum, ideſt eorum, qui habent notabilem potentiam, vt inquit gloſs. *hìc*, vel nisi ſit magna neceſſitas, vt quia non poſſit infans ſine periculo deferri ad Eccleſiam

De

De Sacramento Chriſmatis

TIT. IV.

SAcramentum pugnantium eſt Chriſma. Et de huius Sacramenti ſubſtantia ſunt ſex, duo ex parte Sacramenti in ſe, ſcilicet materia chriſmatis, ideſt vnctio, & forma verborum, quæ talis eſt ſecundùm vſum magis communem, ſigno te ſigno Crucis, confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Item duo ſunt ex parte miniſtri, ſcilicet dignitas Epiſcopalis, & intentio debita. Demum duo ſunt ex parte ſuſcipientis, ſcilicet frons, in qua debet fieri chriſmatio, & quod confirmandus ſit baptizatus. Vnctio autem chriſmatis adhibetur in tribus Sacramentis, ſed diuerſimodè; in baptiſmate enim fit in vertice capitis ad ſignificandam fidei ſuſceptionem; in confirmatione fit in fronte, ad ſignificandam audaciam confeſſionis, cuius impedimentum eſt timor, & verecundia: in ordine fit in manibus ad ſignificandam poteſtatem conficiendi Corpus Chriſti.

§. *Igitur omnes*

Sacramentum autem confirmationis operatur augumentum gratiæ; nam Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero lapſu deſcendit in fonte, plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione verò robur, & augumentum præſtat ad gratiam, vt dicitur in hoc textu.

§. *Accedent*

Non ſunt chriſmandi niſi qui legitimam ætatem habent, quæ ſecundùm aliquos debet eſſe quatuordecim annorum, ſecundùm alios verò vigintiquinquè, vt notatur *in can. vt ieiuni, de conſecr. diſt.* 5. *& ibi gloſſ. in verb. perfecta*. Sed dicit gloſs. *hic* neutrum hodie ſeruari, quia in praxi etiam pueri trium, vel quatuor annorum chriſmantur, inquit eadem gloſs. *in verb. legitima*. Et Romæ eſt edictum, vt non deferantur ad chriſma niſi qui orationem dominicalem, & ſalutationem Angelicam, Symbolum fidei, & præcepta Decalogi didicerint, & ita ſeruatur. Præterea hoc Sacramentum eſt conferendum à ieiunis, & ieiunis *d. can. vt ieiuni,*

& can. ſeq. quod nec hodie ſeruatur, vt ead. gloſs. *hic in verb. ieiunis Epiſcopis*.

§. *Illud commune*

Dicitur in hoc tex. quòd ſicut in baptiſmate, ita etiam in chriſmate debent eſse Patrini. Et per Conc. non poſsunt interuenire niſi ad ſummum duo, maſculus, & fœmina, vt *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 2. qui ſunt interrogandi, & notandi in libris baptiſmatis, & chriſmatis. Parentes autem non poſsunt eſse Patrini filiorum ſuorum, niſi in caſu neceſſitatis, nec minus Monachi; quod tamen non videtur prohibitum alijs Regularibus, (præter quàm Minoribus ex vi Regularum S. Franciſci *cap.* 11.) ex quo non eſt tam arcta vita in alijs, vt in Monachis, cùm Monachi debeant perpetuò vitæ contemplatiuæ dediti in clauſtro, vel in ſolitudine manere; non ſic ceteri Regulares, qui ſunt dediti etiam vitæ actiuæ, vt notatur *in can. non licet, de conſecr. diſt.* 4.

§. *Commune autem*

Sicut baptiſmus iterari non debet, ita nec chriſma, quia etiam chriſma imprimit characterem. Nec obſtat tex. *in can. manus* 1. *quaſt.* 1 quia *ibi* non agitur de rechriſmando, ſed de impoſitione manuum in reconciliatione, quæ manuum impoſitio non eſt confirmatio, vt *ibi* notatur per gloſſ. *in verb. impoſitio*.

De Pœnitentijs, & Remiſſionibus

TIT. V.

QVoniam baptizati, & chriſmati aliquando labuntur in peccatum, ex quo reſurgere neceſſe eſt, nec aliter poſſunt reſurgere, quàm per pœnitentiam, quæ dicitur ſecunda tabula, ideo ponitur præſens tit.

Pœnitentia ſic definitur, Eſt ſacramentum, quod contritione, confeſſione, & ſatisfactione concurrentibus peccatorum remiſſionem operatur. Ex qua definitione colligitur, tres eſſe partes pœnitentiæ, ſcilicet contritionem cordis, confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis. Quæ omnia tenent ſe ex parte materiæ huius ſacramenti, contritio enim, & confeſſio ſunt partes eſſentiales:

les : ſatisfactio verò eſt pars integralis ſacramenti pœnitentiæ, cuius forma conſiſtit in verbis abſolutionis à ſacerdote prolatis. Videatur Card. de Lugo fel. rec. dudum in Collegio Romano Soc. Ieſ. ſacræ Theologiæ Profeſſor, Præceptor meus doctiſſimus, quem nunquam ſatis laudauero, *in ſuo tract. de ſacram. pœnitent. diſp.* 12. *per tot. ſect.* 2.

Contritio eſt dolor voluntarius pro peccatis aſſumptus, cum propoſito confitendi, ſatisfaciendi, & amplius non peccandi. Duplex autem in contritione eſt dolor, alter voluntatis, qui non eſt niſi diſplicentia peccati propter Deum ſummè dilectum : alter eſt dolor ſenſibilis. Primus eſt de eſſentia contritionis : ſecundus non niſi ad perfectionem. Poteſt tamen contritio eſſe adeo intenſa, vt non ſolùm culpa, ſed etiam tota pœna dimittatur. Quod poteſt fieri dupliciter. Primo ex magna charitate, & amore in Deum. Secundo ex magno dolore ſenſibili, quem voluntas excitat in contritione.

Confeſſio debet fieri integra de omni peccato, ſcilicet mortali; veniale enim nón eſt neceſſariò confitendum ad valorem ſacramenti; multis enim alijs modis expiari poteſt. Conc. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Sacram. pœnit.* Ad minus autem ſingulis annis quis confiteri debet proprio ſacerdoti, vel alteri de eius licentia, vel ei, qui habet generaliter facultatem audiendi omnium confeſſiones. Debet autem confeſſio fieri proprio ore; & opinionem quod liceat illam facere per litteras, ſeù per nuncium confeſſario abſenti, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, & prohibuit Clemens Octauus *conſtit.* 87.

Satisfactio duplex eſt, alia circa proximum, quæ fit per reſtitutionem ablati, vel per reſtitutionem famæ : vel per reconciliationem : alia eſt circa Deum, quæ fit recipiendo, & exequendo impoſitam à Sacerdote pœnitentiam.

§. *Sunt autem*

Tres ſunt ſpecies pœnitentiæ, ſcilicet ſolemnis, publica, & priuata.

Solemnis imponebatur laico plebeio pro graui delicto ſcandalizante totam Vrbem : non autem imponebatur Clerico, aut nobili. Textus eſt *in can. in capite* 50. *diſt.* in quo referuntur omnia, quæ ſeruabantur in hac ſolemni pœnitentia, quæ hodie non eſt amplius in vſu.

Publica eſt, quæ imponebatur pro graui, & publico delicto non ſcandalizante, ſed ſine illa ſolemnitate, de qua per DD. *in d. can. in capite*, vt peregrinatio, certi habitus delatio, & ſimilia. Videte gloſſ. *hic in §. publica, in verb. prabeant*.

Priuata, ſeù ſecreta eſt quæ fit in occulto proprio Sacerdoti, quam debet facere homo, cum primò ſapere cæperit, quod contingit in ſeptennio completo *c. 1. de delict. pueror.*

§. *Quod autem*

Tenetur autem quis confiteri proprio Sacerdoti, quia ipſe eſt competens Iudex, ad quem pertinet abſolutio. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poteſt quis etiam alteri confiteri.

Primus eſt, cùm quis veretur imperitiam proprij Sacerdotis, vel habet ſuſpectos eius mores, quia tunc impetrata ab eo licentia, poterit alteri confiteri. Sed quid ſi ipſe recuſet licentiam dare? & tunc recurrendum eſt ad Superiorem, qui vel ipſum compellat ad dandam licentiam, vel ipſemet Superior poterit illam dare ad text. *in c. nullus de Iurepatr.* Videatur gloſſ. *hic in verb. obtineat*.

Secundus caſus eſt quando quis confiteretur alteri, qui habeat facultatem generalem audiendi omnium confeſſiones, quam facultatem non ſolùm concedit Papa, verùm etiam Epiſcopus

Tertius caſus eſt, quando vrget neceſsitas, quia tunc poterit etiam alteri confiteri nulla impetrata licentia.

§. *Sed ſiue*

Confeſſarius non poteſt reuelare confeſsionem aut verbo, aut facto, aut quolibet alio modo; qui ſi contrafecerit, deponitur ab officio ſacerdotali, & detraditur in monaſterium ad agendum perpetuò pœnitentiam; Tenetur enim quis ſub ſigillo confeſsionis, & etiam iure naturæ ſecretam habere confeſſionem; ſub quo ſigillo eſt etiam obligatus quilibet alius audiens peccata pœnitentis, ſicut etiam interpres, per quem confeſsionem poſſe fieri eſt communis opinio, vt teſtatur idem Card. de Lugo *in eod. tract. de ſacram. pœnit. diſp. 15. ſect. 5. n. 66.*

§. *Illud etiam*

Sacerdos autem non poteſt abſoluere aliquem à caſibus reſeruatis

uatis, ſiue ſint reſeruati Papæ, ſiue Epiſcopo. Et caſus reſeruatos enumerant Summiſtæ in verbo excommunicatio,& aliqui ponuntur in hoc tex. Si verò Epiſcopus conceſſit ſubdito ſuo, vt posſit ſibi eligere idoneum Confeſsarium, dubitatur an ita electus posſit confitentem abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis? Et dicitur quòd non, quia in generali conceſsione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter non eſſet in ſpecie conceſſurus *c. fin. de offic. Vicar. in 6, c. in generali de reg. iur. in 6.*

§. *Sed nec contritio*

Præter contritionem, & confeſsionem in ſacramento pœnitentiæ requiritur etiam ſatisfactio ratione publicæ iuſtitiæ, quamuis remisſio peccatorum fiat gratis. Iſta autem ſatisfactio, quæ à Sacerdote imponitur, debet eſſe correſpondens culpæ in numero, pondere, & menſura, non tamen de neceſſitate, ſed ſolùm de conuenientia. Tres autem ſunt partes principales ſatisfactionis, ſcilicet oratio, ieiunium, & eleemoſina.

§. *Medicos*

Medici debent monere ægrotos, vt confiteantur peccata; quia cum ſæpè ob infirmitatem animæ veniat infirmitas corporis, non ſolùm proderit confesſio propter animæ ſanitatem, ſed etiam corporis. Ita ſtatuit Innocentius Tertius, cuius conſtitutionem innouauit S. m. B. Pius Quintus *conſt.* 3. in qua præcipit, vt Medici accedentes ad infirmos faciant vt confiteantur, domeſticos, coniunctoſque monendo, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, & infirmos ad confeſsionem ſuadendo; Quod ſi tertia die ægrotus non fuerit confeſſus, vltra eum non viſitent, niſi confeſſarius ob rationabiles cauſas longius tempus conceſſerit; aliàs vltrà pœnas Innocentianas, de quibus *in c. cum infirmitas hoc eod. tit.* addit Pius, quòd fiant infames, & priuati gradu, ac ab Vniuerſitate deiecti intelligantur. Quando autem gradum recipiunt, debent iurare de hoc faciendo. Quod Cherubin. *in ſchol.* 2. *d. conſtit.* B. Pij ampliat etiam ad infirmitates non periculoſas.

§. *Si quis autem*

Dicit textus quod ſi infirmus propoſuerit confiteri, & voi
caue-

cauerit ſacerdotem, interim autem obmutuerit, vel freneticus factus fuerit, poterit nihilominus moriturus abſolui.

§. *Nec infirmis.*

Condemnatis etiam ad mortem non eſt denegandum ſacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & de conſuetudine Euchariſtia datur illis per diem ante. Videatur Card. Capiſucchus fel. rec. *in ſuis ſelectis quæſtionib. quæſt. 2. pag. 79.* qui hunc art. erudiʼtiſsimè tractat.

De Euchariſtia
TIT. VI.

EVchariſtia ſignificat bonam gratiam, & eſt maximum omnium Sacramentorum, quia continet verum Corpus Chriſti Domini, & confert maiorem charitatem, quàm alia *can. nihil de conſecr. diſt.* 2. Cuius ſuſceptio frequentiſsima erat in primitiua Eccleſia. Sed poſtea tepeſcente charitate diſpoſitum fuit, vt tribus ſaltem vicibus in anno fideles communicare deberent, donec refrigeſcente penitus fuit diſpoſitum, vt ſaltem ſemel in anno in Paſchate Reſurrectionis communicarent. Et hoc eſt præceptum Eccleſiæ.

§. *Inualuit tamen*

Sacerdos autem quotidie celebrare debet, & pro ſe, ac pro Populo oblationem offerre, quoniam quotidie labimur, nec niſi ſemel in die; ſatis enim felix eſt qui ſemel dignè celebrat. *can. ſufficit de conſecr. diſt.* 1. *c. te referente de celebr. miſſ.* In feſto autem Natiuitatis Domini ter celebrare licet. Item quando eſt aliqua grauis neceſsitas, vt pro infirmo communicando, ob ſuperuenientiam Epiſcopi, vel Principis, qui vult audire Sacrum, & in alijs caſibus, qui ponuntur à gloſs. *hic in verb. neceſſitas*, dum tamen vinum purificationis ab illo ſacerdote in prima miſsa non fuerit receptum, nec niſi bis in caſibus neceſsitatis celebretur.

§. *Sed nec ab omnibus*

Solus ſacerdos conficit Corpus Chriſti, quia requiritur poteſtas

ſtas, quæ traditur in ordine, & ſolus debet diſpenſare, quamuis neceſsitate vrgente poſsit etiam diſpenſare Diaconus, ex iuſſu tamen Sacerdotis.

§. *Imò*

Sacerdos exiſtens in peccato mortali quoad ſe ipſum eſt ſuſpenſus, vt non poſsit celebrare tamen si de facto celebret, celebratio habebit effectum ex opere operato, licet celebrans grauiſsimè peccet. Item si sit hæreticus, & irregularis, imò etiam degradatus, conficit Corpus Chriſti; quia character eſt indelibilis, ſuper quo fundata eſt poteſtas conficiendi Corpus Chriſti, vt dicunt omnes Summiſtæ *in verb. Eucharistia*.

§. *Item quamuis*

Scænicis, & hyſtrionibus, ideſt illis, qui turpibus, & illicitis verbis ludunt, & inhoneſtas geſtationes faciunt, eſt deneganda Euchariſtia, non tamen alijs, vt notatur *in can. donare* 86. *diſt.* Impœnitens verò an sit arcendus ab hoc ſacramento? Et diſtinguitur, si eſt publicus, & notorius, vt publica meretrix, publicus concubinarius, vſurarius manifeſtus &c. & arcendus eſt tam publicè, quàm ſecretò. Si verò eſt occultus; & iterum diſtinguitur, aut petit in ſecreto, & Sacerdos debet denegare, eumque monere ne petat in publico: si verò petat in publico, & tunc non debet illum repellere, ne prodat ipſum peccatorem, quia maius malum eſt infamare proximum, quàm dare Sacramentum indigno, vt per DD. *in can. Chriſtus* 1. *quæſt.* 1.

§. *Conſtat*

Notandum eſt, quod hoc Sacramentum conſtat ex visibili forma, ex veritate corporis, & ex virtute ſpirituali. Forma visibilis ſunt ſpecies panis, & vini: veritas corporis eſt caro, & ſanguis Chriſti Domini, & virtus ſpiritualis eſt charitas, & vnitas, qua Chriſto incorporati vnum euadimus. Et dicitur panis, & vini, quia ſola aqua non ſufficit, ſed debet eſse vinum, cui parum aquæ admixtum sit, ad repreſentandum ſanguinem, & aquam, quæ fluxit de latere Chriſti: nec debet eſse plus aquæ, quàm vini contra Aquarios, quorum hæreſis damnata fuit, quia ſolam aquam offerrent teſte D. Auguſtino *lib. de hæreſibus cap.* 4.

De Extrema Vnctione

TIT. VII.

DIctum eſt de Sacramentis, quæ ad ingreſsum, & progreſſum in Eccleſia ſunt comparata, ſequitur de his, quæ ad egreſsum ſunt ordinata, ſcilicet de extrema vnctione, quæ datur ægrotis ex morte naturali morituris: non autem illis, qui morituri ſunt ex morte violenta, niſi quis vulneratus v.g. in longam infirmitatem incideret, ex qua moreretur.

Iſta autem iniunctio fit in certis corporis partibus, nempe oculis, auribus, naribus, ore, & manibus, propter quinque corporis ſenſus. Inunguntur etiam renes, vel ſcapulæ ob vim appetitiuam, & pedes ob vim motiuam, ſed iſta duo non ſunt neceſſaria, ſed solùm de conſuetudine. Si quis verò non habeat aliqua ex ſupradictis membris, iniunctio fit in partibus proximioribus.

Hæc autem vnctio exterior deſignat interiorem animæ iniunctionem, & aliquando etiam operatur corporis ſanitatem; duo enim operatur hoc Sacramentum, ſanitatem animæ, quæ eſt principalis, mundando illam à culpis venialibus, & interdum ſanitatem corporis, quæ eſt acceſſoria.

§. *Sanctificatum*

Si ſanctificato oleo aliud non ſanctificatum miſceatur, illud etiam ſanctificatur, quia ſacrum, quod eſt dignius, trahit ad ſe non ſacrum minus dignum *ad tex. in l. quæ religioſis ff. de rei vendic. c. quod in dubijs, de conſecr. Eccleſ. vel Altar.*

De Sacramento Ordinis

TIT. VIII.

VIſum eſt de Sacramentis neceſſarijs, erat videndum de voluntarijs, prout ſunt Ordo, & Matrimonium.

Ordo autem ſic definitur in textu, eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.

Quo-

Quoniam verò in primo libro ſatis dictum eſt de ordine, cuiuſque ſpeciebus, & alijs ad ipſum pertinentibus, non eſt neceſse ea *hic* repetere. Videte quæ ibi diximus.

De Sacramento Matrimonij

TIT. IX.

DEfinitur matrimonium in textu tali pacto. Eſt viri, & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ conſuetudinem continens, cum diuini, & humani Iuris communicatione. Eſt deſumpta hæc definitio *ex l. 1. ff. de rit. nupt.* præter illas vltimas particulas. Explicate illam, vt diximus in Inſtitutionib. Ciuilib. *in tit. de nupt. in princ.* & prout etiam explicat gloſſa *hic, & in d. l. 1.*

Matrimonium eſt ceteris Sacramentis excellentius ratione loci, quia fuit inſtitutum à Deo in Paradiſo voluptatis: ratione temporis, quia in exordio Mundi: ratione amplitudinis, quia commune eſt etiam Infidelibus, non quatenus Sacramentum actuale, quia cum non ſint baptizati, non ſunt capaces Sacramentorum: ſed eſt commune tanquam contractus. Dicit etiam excellentiam ratione myſterij, propter quod dicitur Sacramentum, quia per coniunctionem animorum deſignat charitatem, quæ conſiſtit in ſpiritu inter Deum, & animam iuſtam: & per coniunctionem corporum deſignat myſterium Incarnationis, per quod contractum eſt coniugium inter Chriſtum, & Eccleſiam, per aſſumptionem humanitatis, quam Verbum diuinum ſemel aſſumptam nunquam dimiſit.

Tria autem ſunt bona matrimonij, nempe fides, proles, & Sacramentum *can. omne itaque 27. quæſt. 2.* Addunt aliqui quartum bonum, nempe remedium contra concupiſcentiam.

Matrimonium autem initiatur per ſponſalia: ratificatur per conſenſum, ſignificatum per verba de præſenti inter habiles ad coeundum: & conſummatur per copulam, de quibus ſingulis agendum eſt.

De Sponſalibus

TIT. X.

SPonſalia ſunt futurarum nuptiarum mentio, ſponſio, & repromiſſio contrahuntur autem aut re, aut verbis, aut litteris, aut conſenſu.

§. *Contrahuntur*

Re contrahuntur ſponſalia per nudam ſubarrationem, vel annuli immiſſionem, ſiue ſubarratio ſit idē cum annuli immiſſione, ſiue quid diuerſum. Et ſubarratio, vel annuli immiſſio non eſt neceſsaria in ſponſalibus, ſicut nec iuramentum. Nauarr. *in Manual. cap.* 22. *n.* 25. Licet autem poſſit dari arra, non tamen poteſt apponi pœna ab ipſis ſponſis, nempe ſi quis noſtrum recedat, amittat centum v.g. Et ratio eſt quia per impoſitionem pœnæ impeditur libertas matrimonij, quæ debet eſse omnimoda; pœna autem apponitur ad cogendam partem, vt contrahat in futurnm, vel vt non recedat à contractu: arra verò datur in ſignum contractus iam celebrati; vnde nihil impedit libertatem matrimonij.

§. *Verbis*

Verbis contrahuntur, cùm de futuro concipiuntur, vt ego accipiam te in meum virum. Ego te in meam vxorem, ſiue in hunc ſenſum verba ſimilia proferantur.

§. *Litteris*

Litteris, cum abſentes inter ſe de futuris nuptijs per epiſtolam paciſcuntur; quod & per nuncium, vel procuratorem fieri poteſt. Si verò poſt miſsam epiſtolam, vel nuncium ad mulierem abſentem, antequam illa acceptet, reuocetur conſenſus ab ipſo mittente, ſponſalia non valent, cum procedant ex conſenſu, vt per Hoſtienſ. *in Summ. de ſponſalib. §. qualiter, verſ. quid ſi pœniteat.* Procurator autem ſpecialiter ad hoc conſtitutus non poteſt alium

ſub-

ſubſtituere, niſi facultas ſubſtituendi ſpecialiter ei in mandato conceſsa ſit, *vt in c. fin. de procurat. in 6.*

§. *Conſenſu*

Conſenſu demum contrahuntur ſponſalia, cum pubes, & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſupplet ætatem per verba de præſenti contrahunt, quia cum non poſſint hæc verba valere in vim matrimonij propter inhabilitatem, reſoluuntur in ſponſalia; vnde ſequitur quod ſi eſsent proximi pubertati, & malitia ſuppleret ætatem, hæc verba inducerent matrimonium, quia iam eſsent habiles ad matrimonium contrahendum.

§. *Quo caſu*

Sponſalia autem contracta per verba de præſenti, quæ reſoluuntur ad verba de futuro, inducunt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, impediens, & dirimens olim vſque ad quartum gradum incluſiuè, hodie non vltra primum tam aſcendentiæ, & deſcendentiæ, quàm collateralitatis. Quod ſi ſponſalia fuerint inualida, nullum inducitur impedimentum Nauarr. *in Manual. d. cap. 22. num.* 57.

Dubitatur autem numquid per ſponſalia vacet beneficium Eccleſiaſticum? Et diſtinguitur, aut ſunt ſponſalia verè, ideſt per verba de futuro, & non vacat: aut non ſunt ſponſalia, ſed eſt matrimonium per verba de præſenti, & vacat. *c.* 1. *&* 3. *de Cler. coniugat.* Gonzal. *ſup.* 8. *regul. Cancell. gloſſ.* 15. *num.* 43. Quod ampliatur etiam ſi matrimonium non valeat ipſo iure, vt quia ſit contractum cum impubere, vel cum conſanguinea, vel ex alio defectu, quia tunc ipſo iure vacat, vt inquit idem Gonzal. *vbi ſupr.*

§. *Et ideo*

Quod ſi inter impuberes contrahatur matrimonium inualidum, propter tacitum conſenſum reſultant ſponſalia; nam qui intendit contrahere matrimonium, multo magis ſponſalia intelligitur velle contrahere, hinc eſt regula, quòd ſi non valet quod ago, vt ago, valet tamen vt valere poteſt.

Nec obſtat tex. *in l. an inutilis ff. de acceptilat.* vbi ſi ſtipulatio

non valet vt ſtipulatio, nec valet vt pactum nudum, & tamen pactum nudum ineſt ſtipulationi.

Reſpondetur enim, quod ille textus loquitur, quando qui facit ſtipulationem, ſciebat ſtipulationem non valere: in noſtro autem caſu impuberes credebant matrimonium valere; Vnde poteſt limitari, quod ſi iſti impuberes ſciuiſsent matrimonium non valere, non includeretur tacitus conſenſus ad ſponſalia.

§. *Rurſus*

Præterea ſponſalia contrahuntur vel purè, vel adiecta die vel ſub conditione.

Purè, vt cum nec dies, nec conditio adijcitur v. g. accipiam te in virum, accipiam te in vxorem.

§. *Dies*

Sub die contrahuntur, ſi dies adijciatur, veluti ſi dicam promitto me ducturum te in vxorem intra menſem; vnde ſi per ipſum non ſtetit, quo minus illam duxerit intra menſem, ſponſalia ſunt diſsoluta.

§. *Sub conditione*

Contrahuntur verò ſub conditione, qnando aliqua honeſta conditio apponitur v. g. ſi dicam, ducam te in vxorem, ſi tantam dotem dederis, vel ſi pater meus conſenſerit &c. Quo caſu ſi conditio non extiterit, ſponſalia reſoluuntur, tanquam ſi non fuiſsent contracta; niſi pendente conditione fuerit deuentum ad aliquem actum, per quem videatur receſsum à conditione, vt ſi copula ſequuta fuerit, quia per copulam purificantur ſponſalia conditionalia, vt dicit gloſs. *hic in verb. receſſum* ſecus ſi apposita fuerit conditio turpis, vel impoſſibilis, quia tunc pro non apposita habetur, nec eſt attendenda. Si verò fuerit apposita conditio contra ſubſtantiam matrimonij, tunc matrimonium, & ſponſalia non tenent, vt ſi dicatur ducam, ſeù duco te in vxorem, si generationem prolis euitaueris: vel si corpore tuo quæſtum feceris: vel donec inueniam aliam ditiorem te, iuxta tex. *in c. fin. de condition. appoſit.*

§. *Non*

§. *Non tamen*

Ad contrahenda ſponſalia eſt determinata ætas, nempe ſeptennium completum, ante quam ætatem ſponſalia contracta non valent, nec lapſu temporis conualeſcunt, nisi noua voluntas poſt ſeptennium acceſserit, vel nisi malitia ſuppleuerit ætatem, vt si fuerit nixus copulæ in minori ſeptennio, quia tunc induceretur impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis *c. iuuenis de ſponſalib.*

§. *Initiatum*

Qui contraxerunt ſponſalia debent compelli ad contrahendum matrimonium, nisi ex coactione timeantur difficiles euentus. Si verò impuberes vellent ſponſalia diſſoluere, non audiuntur, ſed eſt expectandum tempus pubertatis, quia impuberes contrahendo ſponſalia faciunt meliorem ſuam conditionem, diſſoluendo verò faciunt deteriorem; Vnde ſi pubes contraxit cum impubere ſponſalia, ipſe non poteſt recedere: impubes verò factus pubes poteſt.

§. *Hæc tamen*

Sponſalia contracta per metum iuſtum, ideſt qui cadat in conſtantem virum, vel in conſtantem fœminam, non tenent. Vnde minæ parentum inducunt iuſtum metum, maximè in muliere: Sed debet conſiderari ratio qualitatis parentum, & minarum, vt *in c. litteris, de deſponſat. impub.* Itaque ſi parentes contraxerunt ſponſalia pro ſuis filijs, ſunt nulla, nec inducunt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis, niſi filij conſenſerint, vel expreſsè, vel tacitè. Expreſsè, ſi verbis, vel facto ratum habuerint quod parentes geſſerunt: tacitè, vt quando fuerint præſentes, nec contradixerunt, dummodo antecedenter non fuerit incuſſus iuſtus metus, quia tunc ex præſentia, & taciturnitate non induceretur conſenſus.

§. *Diſſoluuntur*

Diſſolui poſſunt ſponſalia, & diſſoluuntur vel ipſo iure, vel facto hominis.

Ipſo iure diſſoluuntur, cùm nulla habita ratione voluntatis, &

& conſenſus partium, ex certa ſuperueniente cauſa diſtrahuntur, vt ex contractu matrimonij, ſacrorum ordinum ſuſceptione, religionis ingreſſu, & cognationis interuentu.

§. *Si quis igitur*.

Ex contractu matrimonij v. g. ſi poſt contracta ſponſalia cum Titia, contrahit quis matrimonium cum Seia; tunc enim ſponſalia contracta cum Titia ſunt ipſo iure diſſoluta, etiam ſi fuerint iurata, quamuis pro fide data, & periurio ſit imponenda pœnitentia ſalutaris: matrimonium tamen contractum per verba de præſenti, etiam non ſequuta copula (quod dicitur matrimonium ratum) non poteſt diſſolui per ſecundum matrimonium, etiam ſequuta copula, quia ſecundum non tenet, cum nemo poſſit habere plures vxores eodem tempore, & primum ſit validum, cum ſit ratum.

§. *Item ex contrario*

Diſſoluuntur etiam ſponſalia de futuro ipſo iure per ſuſceptionem ſacrorum ordinum, aut per ingreſſum Religionis; in quibus caſibus etiam imponitur pœnitentia ſecundum aliquos propter fidem fractam: alij tamen dicunt nullam eſſe imponendam pœnitentiam, ex quo in melius commutetur voluntas, nec dicitur decepiſse ſponſum illa, quæ eligit Chriſto ſponſam fieri. Sed datur conſilium, maximè ſi quis iurauerit ſe ducere aliquam in vxorem, vt prius illam ducat, & poſtea non ſequuta copula ingrediatur Religionem, emittendo profeſſionem ſolemnem. Hoc verò non procederet, quando iuraſſet ducere, & conſummare, quia tunc remaneret periurium, ex quo non conſummaret; niſi diceremus quod conſummare pendet à permanentia in matrimonio, & intelligitur conditio tacita in illo iuramento, iuro ducere, & conſummare, ſi perſeuerauero in matrimonio. De ſtylo autem ſolent Notarij apponere in Inſtrumentis dotalibus, ducere, & conſummare.

§. *Item ſi*

Præterea diſſoluuntur ipſo iure, ſi ſuperueniat affinitas inter ſponſum, & ſponſam, vt ſi ſponſus conſanguineam ſponſæ carnaliter cognoſcat, aut de hoc fuerit publicè diffamatus.

Item

Item ſi ſpiritualis cognatio inter eos interceſſerit, vt ſi ſponſus baptizauerit, vel tenuerit ad baptiſmum, vel ad chriſma filium ſponſæ, etiam ignoranter.

§. *Facto hominis*

Facto hominis diſſoluuntur ſponſalia pluribus modis, vt ex contrario conſenſu contrahentium, vel etiam ſi impubes poſtea adueniente pubertate nolit contrahere matrimonium, nec pœnæ appoſitio tenet. Tali autem modo diſſoluta nullum inducunt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis. Conc. *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 3.

§. *Vnius quoquè*

Item diſsoluuntur hominis facto, cùm receditur ob ſequentem fornicationem, etiam ſi fuerint iurata, quia in iuramento ineſt talis conditio, iuro me ducturum te in vxorem, ſi perſtiteris in lege matrimonij, vt *in c. quemadmodum*, *de iur. iurand.*

Sed dubitatur, an ſi per vim fuerit ſponſa ſtuprata, teneatur ſponſus illam ducere? Et reſpondetur quod non, quia nemo debet compelli fieri bigamus.

§. *Idem erit*

Idem ſi ſponſa fornicata fuerit ſpiritualiter, vt quia euaſerit hæretica, vel idolatra; quod idem dicitur de ſponſo.

§. *Sed & ſi*

Item diſſoluuntur per abſentiam, vt quia ſponſus ad remotas regiones ſe contulerit.

§. *Item ſi ſponſus*

Demum diſsoluuntur ob deformitatem, vt per membrorum abſciſſionem ſuperuenientem, vel per aliquem morbum incurabilem; quamuis per omnia iſta matrimonium iam contractum non dirimatur.

De

De Nuptijs

TIT. XI.

DIctum eſt de ſponſalibus, quæ ſunt principium nuptiarum, quia per ipſa nuptiæ initiantur. Erat videndum de nuptijs ipſis, quæ ratificantur conſenſu, & copula conſummantur.

Nuptiæ, ſeu matrimonium quid ſit, dictum eſt ſupra. Sed matrimonij materia eſt conſenſus vtriuſque contrahentis, ſi ſint puberes. Forma autem intrinſeca eſt verborum expreſſio: extrinſeca verò eſt præſentia Parochi, vel alterius Presbyteri de licentia Parochi, vel Epiſcopi, & præſentia duorum, vel trium teſtium. Conc. *ſeſſ.* 24. *in Decret. reformat. matrim.* Et ſufficit Parochus viri, licet non ſit præſens Parochus vxoris, cùm potius vxor ſequatur forum viri, quàm è contra per ea, quæ notat Bald. *in l. voluntas num.* 1. *in princ. C. de fideicomm.*

§. *Sed qui ſint*

Puberes autem dicuntur maſculi maiores quatuordecim annis, & fœminæ maiores duodecim dicuntur viri potentes, niſi malitia ſuppleat ætatem, quia tunc antea etiam poſſunt matrimonium contrahere *c. puberes, de deſponſat. impuber.* ideſt quod ante hanc ætatem potens ſit quis generare, vel concipere, quòd non poteſt probari, niſi per euidentiam, vt ſi de facto maſculus aliquis ante ætatem quatuordecim annorum generauerit, vel fœmina ante duodecimum ætatis annum conceperit, cum ſit præſumptio naturalis quod nemo ante hanc ætatem ſit potens, contra quam præſumptionem nulla datur probatio in contrarium præter euidentiam. Nauarr. *in Manual. cap.* 22. *num.* 29. & notant DD. *in d. c. puberes.*

Poſset etiam ante dictam ætatem matrimonium contrahi pro aliqua vrgentiſſima cauſa, & maximo bonò, puta pro bono pacis *c.* 2. *de deſponſ. impuber. vt hic in tex. dicitur.*

§. *Licet autem*

Verba autem ſunt neceſsaria ad contrahendum matrimonium quoad Eccleſiam: ſecus quoad Deum, in illis qui loqui poſsunt; vnde

vnde in mutis non ſunt neceſſaria, quia conſenſus ſignis declaratus ſufficit.

Verba autem apta ſunt hæc. Ego te in meam vxorem accipio. Ego accipio te in meum virum. Vel ab hoc tempore ego habebo te pro mea coniuge, & ſimilia, conſenſum de præſenti exprimentia.

Quid verò ſi quis dixerit, non habebo aliam vxorem niſi te, cenſeatur matrimonium? Et Ceuall. *in ſuis communib. contr. commun. quæſt.* 130. examinat hanc quæſtionem, referens quamplures auctores pro vtraque parte; & tandem refert tertiam opinionem, ſcilicet quod intelligatur matrimonium ſub conditione, ideſt non habebo aliam vxorem, niſi te, ſi coniugalem vitam elegero; & propterea non ſit matrimonium. Et de communi Theologorum teſtatur Guttierez *in ſuis Canonicis part. 1. cap 21. num.* 30.

§. *Inde quæritur*

Fuit dubitatum quomodo verba prolata in matrimonio contrahendo ſint intelligenda, quando eſt quæſtio inter contrahentes, vno vel alio modo intelligi poſſe. Et reſpondetur accipi in eum ſenſum, qui communiter recipitur *ad tex. in l. Labeo ff. de ſuppellect. legat.* puta ſi aliquis dixerit, habebo te in vxorem quouſque terra operuerit oculos meos, debet intelligi pro matrimonio, ideſt quouſque vixero, nec ſufficit ſibi ponere terram ſuper oculos, & dicere ſe ita intellexiſse, quia hæc verba non ita intelliguntur ab hominibus, vt per gloſs. *hic*.

§. *Illud quoquè*

Serui Chriſtiani contrahunt matrimonium legitimum, quia ſacramenta nemini ſunt deneganda, & apud Deum non eſt facienda acceptio perſonarum *c. nouit de Iudic.* & eſt titulus in Decretali, *de coniugio ſeruor.* Non debent autem tales ſerui fraudare Dominos debito ſeruitio. Poſset tamen diſsolui matrimonium in caſu, quo quis putabat ſe ducere liberam, & erat ancilla, quia eſt error in conditione. Idem ſi error ſit in perſona, vt quia crederet quis ducere Bertam, & eſt Gemma.

§. *De eo*

Ponitur caſus *hic* de eo, qui vt induceret mulierem ad ſecum concubendum, mentitus eſt nomen, & dixit v.g. Ioannes te deſponſat, nec appellabatur Ioannes, quæritur an ſit matrimonium? Et verè non eſt matrimonium, quia deficit materia, ſcilicet conſenſus ex parte vnius; non enim eſt conſenſus vbi eſt dolus *l. & eleganter ff. de dol.* tamen quouſque dolus probatus non fuerit, pro matrimonio ab Eccleſia iudicatur.

Quæ matrimonium impedire poſſunt

TIT. XII.

IMpedimenta matrimonij quædam ſunt impedientia, & dirimentia, quæ non ſolùm impediunt ne matrimonium fiat, ſed ſi fiat reddunt matrimonium nullum: quædam verò impedientia tantùm, quæ licet impediant matrimonium fieri, tamen ſi fiat, matrimonium valet, vt omiſſio denunciationum in Eccleſia per tres dies feſtos ante, contrahere tempore vetito &c.

Impedimenta impedientia, & dirimentia ſunt plura, quæ enumerantur in iſto titulo, & in ſeqq. de quibus licet nonnulla dixerimus in Inſtitutionib. Ciuilib. titulo de Nuptijs: tamen vt ſeriem horum titulorum proſequamur, nonnulla *hic* etiam proponere, & repetere debemus.

Error itaque in perſona, & in conditione vitiat matrimonium, vt ſi puto ducere Bertam, & ſit Gemma. Ita ſi puto ducere liberam, & ſit ancilla, vt ſupra diximus. Non ita ſi ſit error in qualitate, & fortunis, vt ſi credam diuitem, & ſit pauper, vel virginem, & ſit corrupta, vel caſtam, & ſit meretrix: imò ſcienter ducenti meretricem in vxorem, peccata remittuntur, cum inter opera charitatis non vltimum locum obtineat errantem ab erroris ſemita reuocare *c. inter opera de ſponſalib.* Et ratio eſt, quia in primo caſu deficit conſenſus in ſubſtantia: in ſecundo caſu ſolùm in qualitate, vt ſi v. g. volo emere argentum, & vendatur mihi ſtannum, non valet contractus, quia nullo modo habui conſenſum in ſtannum: ſed ſi volo emere argentum talis ligæ, & vendatur inferioris ligæ, valet, ex quo habeo conſenſum in argento, licet non conſenſerim in qualitate. Ita DD.

§. *Sunt*

§. *Sunt & alij*

Si matrimonium ſit contractum ſub conditione poſſibili, & conditio non exiſtat, reſoluitur matrimonium *c. ſuper eo, de condition. appoſ.* niſi ex alio capite confirmetur, vt puta ſi pendente conditione ſequatur copula affectu maritali.

§. *Item voti*

Sic etiam voti ſolemnis emiſſio, & ſacri ordinis ſuſceptio impediunt, & dirimunt, quia ſi deinde vxorem ducam, matrimonium eſt nullum *c. nuper de bigam.* non ita in voto ſimplici, ſeù in ſola ſuſceptione habitus religioſi, non emiſſa adhuc profeſſione ſolemni; quia iſta quidem impediunt contrahi, ſed contractum valet, & ſolùm propter fracturam voti imponitur pœnitentia. Ratio autem quare votum ſolemne dirimat; non autem votum ſimplex, eſt, quia in voto ſolemni eſt promiſſio facta Deo, & Religioni: ſed in voto ſimplici eſt ſola promiſſio facta Deo.

§. *Cultus quoquè diſparitas*

Impedit quoque & dirimit matrimonium diſparitas cultus, vt ſi Chriſtianus ducat infidelem ſcienter, quia pœna eſt diſſolutio matrimonij, & excommunicatio: ſi ignoranter, nulla eſt impoſita pœna, dummodo poſtquam notitiam habuerint, ſtatim ſe ſeparent.

Matrimonium autem contractum inter ipſos infideles eſt legitimum, ideſt factum ſecundùm eorum leges, ſed non eſt ratum, quia poteſt diſſolui; & propterea ſi vnus ex coniugibus conuertatur ad fidem, & alter nolit eum ſequi, aut nolit cum eo cohabitare, vel non poſſit fidelis ſine peccato mortali cum illo cohabitare, diſſoluto primo matrimonio, poterit alteri nubere, & proles communis ipſi conuerſo aſſignabitur, ſcilicet poſt triennium ætatis illius; ante enim indiſtinctè proles remanet apud matrem, ſiue conuerſa ſit, ſiue non *c. fin. de conuerſion. infidelium*.

§. *Quòd ſi*

Quod ſi vnus ex coniugibus infidelibus conuertatur ad fidem, & poſtea alter quoque coniux conuertatur, antequam primus al-

teri legitimè coniunctus fuerit, debent ſe inuicem recipere, nec poterit opponi, contra conuerſam, quod ipſam repudiauerit in infidelitate ſecundùm conſuetudinem Infidelium, etiam quod illa mulier poſt repudium alteri nupta, à ſuo viro fuerit cognita, niſi aliter fuerit fornicata.

§. *Quia verò*

Qui plures vxores habuit in ſua ſecta, & poſtea conuertatur ad fidem ſimul cum ſuis vxoribus, adhærere debet primæ. Matrimonium autem fidelium non ſoluitur, ſi vnus fiat infidelis, vel hæreticus, quia matrimonium apud fideles eſt ratum, nec ob vllum delictum diſſoluitur; nam ſi hoc admitteretur, daretur occaſio, vt aliquis odio coniugis ſimularet ſe infidelem, vel hæreticum, vt illud matrimonium diſſolueretur, quod eſt abſurdum. Imò ſi poſtea infidelis effectus reuertatur ad fidem, qui fidelis manſit, tenetur ad illum redire, niſi malit tranſire in Religionem.

§. *Ex his*

Colligitur ex his, quæ diximus, matrimonium aliud eſſe legitimum, & non ratum: aliud eſſe ratum, & non legitimum: & aliud eſſe ratum, & legitimum.

Legitimum eſt quod fit ab infidelibus ſecundùm ſuas leges, & hoc diſſolui poteſt; vnde non eſt ratum. Ratum, ſed non legitimum eſt quod fit à fidelibus ſine requiſitis ſolemnitatibus, vt ſi omittantur trinæ denunciationes &c. quòd quidem non eſt legitimum, ſed tamen eſt ratum, dummodo alias ſit validum; vnde diſſolui non poteſt; ſi verò ſit inualidum, vt quia non fuerit adhibitus Parochus, & numerus teſtium requiſitus, non erit nec ratum, nec legitimum. Legitimum, & ratum eſt contractum inter fideles cum omnibus ſuis ſolemnitatibus tam intrinſecis, quàm extrinſecis.

Vtrùm autem matrimonium ratum, & non conſummatum, poſſit à Papa diſſolui, eſt quæſtio. Et Ceuallos *in ſuis communibus contra communes quæſt.* 343. refert quamplures auctores pro vtraque parte, & tandem refert Sylueſtrum diſtinguentem, quòd cum cauſa poſſit, ſine cauſa non poſſit. Filij verò nati ex matrimonio rato, licet non legitimo, quod poſtea ab Eccleſia fuerit comprobatum, legitimi iudicandi ſunt.

§. Con-

§. *Coactio*

Viſ eſt etiam impedimentum impediens, & dirimens. Et vis accipitur *hic* pro metu, qui cadat in conſtantem virum, vel in conſtantem fœminam *ad tex. in l. metus la 1. ff. de eo quod met. cauſ.* Coactio autem, & metus differunt, quia coactio eſt vis illata in corpus: metus autem in animum. Metus verò non excludit conſenſum, licet excludat libertatem conſenſus. Hinc dicitur quòd voluntas coacta verè voluntas eſt, dicitur tamen coacta ex quo non eſt libera, prout in matrimonio eſſe debet. Sed ſi poſt metum interceſſerit copula voluntaria, purgatur metus, & matrimonium tenet. *c. de illis il 2. de deſponſ. impub. & ibi gloſſ. in verb. conſenſus.*

§. *Furor*

Furor etiam impedit, & dirimit matrimonium. Sed ſi quis ſanus mente contraxerit, furor poſtea ſuperueniens illud non dirimit, quod ſeruatur etiam de Iure Ciuili *l. patre furioſo ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. iur.* Ratio eſt quia furioſus non habet conſenſum, qui omninò requiritur in contrahendo matrimonio. Sed ſi in furore procreauerit liberos facto iàm matrimonio ante furorem, liberi ſunt legitimi DD. *in l. humanitatis C. de impuber. & alijs ſubſtitut.*

§. *Item frigiditas*

Impotentia coeundi eſt etiam impedimentum impediens, & dirimens; quod ita declaratur, nempe ſi conſtet euidenter de impotentia, vt quia vir careret inſtrumento, tunc ſtatim declaratur matrimonium nullum, niſi ſcienter illum duxerit mulier, quia tunc quem non poteſt habere vt maritum, habeat vt fratrem *c. conſultationi, de frigid. & maleficiat.* Si verò impotentia non eſt oculis viſiua, & tunc debent ſæpius confiteri peccata ſua, ne fortaſſe Deus propter eorum peccata id permittat, & poſtea debent ſimul cohabitare per triennium, intra quod tempus ſi non poterit copula inter eos intercedere, ex tunc declaratur nullum matrimonium, & qui eſt potens alteri nubere poterit: qui verò eſt impotens alteri nubere non poterit. Notatur *in c. fraternitatis, eod. tit. de frigid. & malefic.* Et Sixtus Quintus *conſt.* 59. conſtituit quod

quod caſtrati non poſſint contrahere matrimonium, quia multi contrahebant ad delectationem carnis, cum nulla poſſit in eis eſſe ſpes generationis.

§. *Alia*

Leproſi poſſunt contrahere matrimonium; vnde ſi leproſus inueniat mulierem, quæ velit eum in maritum, rectè contrahere poteſt, & matrimonium valet *c. 1. de coniug. leproſor.* Idem dicitur de quacunque graui infirmitate. Imò etiam in articulo mortis poteſt quis contrahere, quod fit plerumque ad legitimandos filios antea natos, vt notatur *in c. tanta, qui fil. ſint legit.*

§. *Publicæ*

Eſt etiam impedimentum impediens, & dirimens iuſtitiæ publicæ honeſtatis, vt ſi ego deſponſaui Titiam, non poſſum eam omittere, & eius conſanguineam ducere; quod procedit etiam ſi Titia mortua eſt. Et de iure antiquo vſque ad quartum gradum incluſiuè impediebat. Sed hodie ex Conc. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. matrim.* conſtitutum eſt, quod ſponſalia inualida nullum inducunt impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis: valida verò inducant ſolum in primo gradu aſcendentiæ, deſcendentiæ, & collateralitatis.

§. *Filij quoquè*

Filij verò nati ex matrimonio inualido ratione iuſtitiæ publicæ honeſtatis ſunt illegitimi, nec ſuccedunt parentibus, niſi parentes fuerint ignorantes impedimentum, vel niſi fuerit diſpenſatum per Summum Pontificem. Et bona fides vnius ex coniugibus ſufficit ad efficiendos liberos legitimos, vt notatur *in d. c. tanta*.

De Triplici Cognatione

TIT. XIII.

Cognatio quoque eſt impedimentum impediens, & dirimens. Hæc autem triplex eſt, ſpiritualis, legalis, & naturalis.

Spi-

Spiritualis eſt attinentia quædam proueniens ex ſacramenti collatione, vel ad ſacramentum detentione, ſcilicet baptiſmi, & chriſmatis. Hæc autem cognatio oritur inter baptizantem, & baptizatum, eiuſque patrem, & matrem. Item inter tenentem ad baptiſmum, & baptizatum, eiuſque patrem, & matrem. Idem in chriſmate, & ſecundùm Nauarrum *in Manual. cap.* 22. *num.* 72. habet locum etiam in Catechiſmo, ideſt in inſtructione ad fidem, quod tamen eſt impedimentum impediens tantùm, ſed non dirimens vt idem Nauarr. *ibid.* adducens *tex. in c. per catechiſmum, de cognat. ſpiritual. in 6.* Inter patrinos autem quoad ſe nulla oritur cognatio: ſicut nec inter baptizantem, & patrinos.

§. *Diximus*

Cognatio autem ſpiritualis ſuperueniens poſt matrimonium contractum illud non dirimit. v.g. ſi vir, & vxor ex ignorantia, aut etiam ex dolo proprium filium de ſacro fonte ſuſceperint, vel ad chriſma tenuerint; & facientibus hoc ex dolo eſt imponenda pœnitentia. Hodie verò duo ad ſummum debent eſſe patrini, maſculus, & fœmina. Si tamen plures fuerint de facto, cum omnibus contrahitur cognatio ſpiritualis, quæ impedit matrimonium contrahendum, & iam contractum dirimit. Quod etiam dicitur de chriſmate.

§. *Legalis*

Legalis cognatio eſt, quæ inducitur per adoptionem, vt ſi adoptaui mihi aliquam in filiam, vel neptem, non poſſum eam vxorem ducere, etiam ſi illam emancipauerim, quia remanet impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis; eſt enim inhoneſtum eam habere in vxorem, quæ aliquando fuit mihi filia, vel neptis. Idem dicitur de affinitate legali, quia non potero ducere in vxorem illam, quæ fuit vxor filij mei adoptiui. Hoc verò inter collaterales non procedit, quia filius meus naturalis poterit ducere filiam meam adoptiuam à me emancipatam, vel è contra: nullum enim inter eos remanet impedimentum iuſtitiæ publicæ honeſtatis.

§. *Naturalis*

Naturalis cognatio eſt, quæ medio conſanguinitatis, vel affini-

affinitatis contrahitur. Conſanguinitas autem eſt proximitas perſonarum ex eo proueniens, quòd vna perſona procedit ab altera, vel ambæ ab eadem. Affinitas eſt perſonarum attinentia ex concubitu procedens, quæ de Iure Canonico inducitur tam ex licito, quàm ex illicito concubitu; ſed quæ ex licito eſt, impedit vſque ad quartum gradum incluſiuè *c. non debet, de conſangu. & affinit.* Quæ verò ex illicito impedit vſque ad ſecundum incluſiuè, & non vltra ex diſpoſitione Concil. Trid. ſeù potius ex declaratione S. m. B. Pij Quinti facta 4. Kal. Decembris anno 1566. Licet autem ſecundum canones non poſſit eſſe matrimonium inter cognatos, aut affines ex licito concubitu intra quartum gradum; tamen ſi infideles intra hunc gradum contraxerint ſecundùm ſuas leges, matrimonium illud poſtquam fuerint conuerſi, non reſcinditur, quia per Sacramentum Baptiſmi dimittuntur peccata, non tamen ſoluitur matrimonium legitimè contractum *c. de infidelibus, de conſangu. & affinitat. c. gaudemus de diuort.* Quamuis autem cognatio, & affinitas ex licito concubitu impediat matrimonium, & dirimat vſque ad quartum gradum incluſiuè, vt diximus: tamen ſufficit, quòd vnus ſit in quarto, & alter in quinto, quia attenditur remotior gradus.

§. *Admonendi*

Inter virum, & cognatos vxòris, & inter vxorem, & cognatos viri inducitur affinitas, inter quos ita gradus connumerantur v.g. Ego, & ſoror meæ vxoris ſumus in primo gradu, filius verò eius in ſecundo erit à me, nepos in tertio & ſic deinceps. Inter cognatos verò viri, & cognatos vxoris nulla inducitur affinitas; vnde pater, & filius poterunt ducere matrem, & filiam, duo fratres duas ſorores &c. Quoto verò gradu diſtat cognatus à cognato in cognatione, eodem gradù diſtat à coniuge eius in affinitate. Sic ego, qui diſto à filio fratris mei in ſecundo gradu cognationis, diſto ab vxore ipſius in ſecundo gradu affinitatis. Gradus verò cognationis de Iure Canonico ita computantur, ſcilicet inter aſcendentes, & deſcendentes dempta prima perſona, quot deinde perſonæ, ſeù generationes gradatim ſequuntur, tot gradus faciunt. v.g. pater cum filijs facit primum gradum, cum nepotibus facit ſecundum &c. Inter collaterales verò perſonæ pares faciunt vnum gradum; vnde fratres, & ſorores, ſiue germani, ſiue vterini, ſiue conſanguinei ſunt in primo gradu: filij duorum fratrum, vel ſororum ſunt in ſecundo, & ſic deinceps.

§. Si

§. *Si quis autem*

Cognoſcens conſanguineam vxoris ſuæ non poterit amplius petere debitum ab vxore, reddere tamen tenetur. Talis autem vxor moneri debet ne petat: ſed ad hoc cogi non debet, cùm talis iniquitatis particeps non fuerit.

§. *Ergo*

Affinitas autem ad hoc vt impediat contrahĩ matrimonium, debet eſſe antecedens; vnde poſtea ſuperueniens non dirimit. Antecedens autem ad hoc vt dirimat matrimonium, debet probari per probationes concludentes, nec ſtatur aſſertioni vnius coniugis, aut rumori viciniæ; Eccleſia enim non aſſiſtit talibus aſſertionibus, quia periculum eſſet, ne ad colluſionem fierent.

De Clandeſtina deſponſatione

TIT. XIV.

Clandeſtina ſponſalia non ſunt prohibita; nihil enim de nouo ſuper his diſpoſuit Conc. Trid. Vnde poſſunt fieri de nocte, ſine teſtibus, & in loco ſecreto. Sed in matrimonio diſpoſuit, quod ſi ſit clandeſtinum, ideſt non factum coram Parocho, vel alio Presbytero de eius, ſeù Epiſcopi licentia, & ſine teſtibus, ſit nullum. Si verò ſit clandeſtinum, ideſt factum non præmiſſis denunciationibus per tres dies feſtos ante, non ſit nullum; quæ denunciationes cum licentia Epiſcopi poſſunt omitti ad euitandum aliquod ſcandalum, ſed poſtea debent fieri ante matrimonij conſummationem.

Sed an validum cenſeri debeat contractum in Parochia mulieris coram Sacerdote habente licentiam à Parocho viri, præſertim cum Parochiæ mulieris, & viri ſint in diuerſis Diœceſibus? Et dicitur quod ſic. Et valet etiam ſi Parochus ſit inuitus, & per vim detentus, vel alia de cauſa fuerit accerſitus, vel etiam ſi fuerit excommunicatus, & etiam ſi Parochus non eſſet Sacerdos, vt habetur ex varijs declarationibus Sacræ Congregationis eiuſdem Concilij Tridentini.

§. *Cuius ſi*

Teneatur itaque Parochus facere denunciationes antequam coniuges benedicat; quòd ſi aliquod impedimentum appareat etiam ex probabilibus coniecturis, debet eos expreſsè interdicere ne contrahant, donec veritas appareat. Quòd ſi Parochus hoc non faciat, punitur pœna ſuſpenſionis per triennium, & grauiori etiam pro qualitate culpæ. Filij verò nati ex clandeſtinis, & interdictis matrimonijs, non ſunt legitimi: licet nati ex matrimonio contracto in faciem Eccleſiæ cum impedimento impediente, & dirimente ignoranter, ante ſententiam nullitatis matrimonij, ſint legitimi, niſi vterque coniugum nouerit impedimentum; ſufficit enim bona fides vnius, vt filij naſcantur legitimi.

Qui matrimonium accuſare poſſunt, & contra illud teſtificari.

TIT. XV.

PRæmittuntur denunciationes ante matrimonium, vt impedimentum ſi quod ſit, poſſit accuſari. Quod ſi contigerit intra terminos denunciationum matrimonium à nemine fuiſſe accuſatum, & aliquis poſt illud contractum vellet accuſare, non auditur, niſi medio iuramento deponat, quòd poſtea habuit impedimenti notitiam, & quod illud non deducit dolo malo, vel quod tempore denunciationum erat abſens, vel aliàs matrimonium contrahendum non potuit ad eius notitiam peruenire.

§. *Sed nec omnes*

Si Impedimentum non prouenit ex delicto, & ſolùm tangit ipſos coniuges, coniux ſolùm admittitur ad illud accuſandum; vt ſi alter coniux ſit frigidus, vel impotens ad coeundum. Sed ſi prouenit ex delicto, & intra gradum prohibitum, & tunc ſeruantur gradus, vt antiquiores, & honeſtiores præferantur in accuſatione, & pater etiam admittitur; quod enim dicitur pa-

trem

ſtrem non poſſe eſſe teſtem in cauſa filij, procedit in criminalibus, & in contractibus: ſecus in matrimonio.

§. *Quoties*

In accuſatione autem ex conſanguinitate procedente recipiuntur duo, vel tres teſtes eiuſdem conſanguinitatis, vel totidem ex ſenioribus, & melioribus eiuſdem loci, qui duplici iuramento deponere debent ſuper conſanguinitate, ſcilicet debent iurare, ſe non priuato odio, neque amicitia, nec alicuius proprij intereſſe intuitu ad hoc iurandum iuductos, & ſicut ipſi dicunt, veritatem à maioribus accepiſſe, & ſe credere ita eſſe. Admiſſis autem talibus probationibus non admittitur probatio in contrarium.

De Diuortijs

TIT. XVI.

VIſum eſt de matrimonio, ac de eius impedimentis, propter quæ contractum declaratur nullum. Verùm quia aliquando contingit, matrimonium diſſolui, aut ſeparari coniuges ob alias cauſas, ideo ponitur præſens tit.

Diuortium dictum eſt à diuertendo, quia coniuges in diuerſas partes ſecedunt. Sic autem definitur, eſt diſſolutio matrimonij, quæ vtroque coniuge viuente contingit. Et ſumitur in genere, & in ſpecie. In genere continet diuortium ſpecificè ſumptum, & etiam ſeparationem tori. Diuortium ſpecificum eſt ſeparatio, & diſſolutio, quæ in vno ſolùm caſu contingit, nempe per profeſſionem ſolemnem habitam in Religione, dummodò non ſit ſequuta copula, & qui remanet in ſeculo, poterit alteri nubere. Sed dicenti velle ingredi monaſterium ſtatuitur tempus ad ingrediendum duorum menſium *c. ex publico, de conuerſ. coniugat.* deinde expectatur tempus probationis, quo elapſo vel debet profiteri, vel ad coniugem redire. Et hoc fieri poterit etiam coniuge inuito. Si verò ſequuta eſt copula, & ambo velin ingredi Religionem, poterunt ex mutuo conſenſu, ſed remanent coniuges. Vnus autem ſine alterius conſenſu non poterit, cum conſenſu verò poterit; & tunc qui remanet in ſeculo debet vouere continentiam, niſi ſit talis ætatis, vt nullus ſit timor incontinentiæ vt *in c. cum ſis, & ſimilibus. eod. tit. de conuerſ. coniugat.* Ratio au-

tem quare non dum ſequuta copula, alter coniugum, etiam ſi conſenſum de præſenti præſtiterit, altero quoque inuito, poſſit ad Religionem tranſire, eſt quia non dum vna caro effecti ſunt; vnde meliorem vitam eligere non prohibetur. Suſcipiens verò ſacros ordines poſt matrimonium ratum licet non conſummatum, niſi in aliqua Religione ſolemnem profeſſionem emiſerit, cum ſua coniuge permanere, & matrimonium conſummare, ſi id petat, compellendus eſt.

§. *Sed & ſi inter*

Dicitur in hoc textu, & in tribus §§. ſeqq. quod cultus diſparitas, & impotentia coeundi matrimonium dirimunt, de quibus ſupra iam diximus.

§. *Sæpius tamen*

Aliquando tamen poſt copulam ſequutam ſolùm ſeparatio tori fieri poteſt propter cauſam. v.g. fornicationem carnalem, vel ſpiritualem, nempe idololatriam, nimiam ſæuitiam, hæreſim, intolerabiles mores, graue odium, inimicitias capitales &c. Si quis verò dicat Eccleſiam errare, cùm docet ſeparationem iſtam ob cauſam fieri poſſe, eſt anathema. Conc. *ſeſſ.* 24. *de ſacram. matrim. can.* 8. Quæ ſeparatio populari vocabulo appellatur diuortium, improprium tamen, quia remanent veri coniuges.

§. *Sed & ſeparatio*

Separatio tori ob adulterium fieri non debet, niſi illo plenè probato, quo iudicio pendente alteruter coniugum non debet priuari iure, quod in altero habet. Quod ſi talis ſeparatio ob carnalem fornicationem ſequatur, compellendus non erit coniux, vt coniugem recipiat, etiam poſt emendationem, niſi & ipſe quoque tali macula pollutus fuerit. Si verò ſeparatio fiat ob ſpiritualem fornicationem, tenetur coniugem reuertentem ad fidem coniux reſumere.

§. *Quæſitum*

Caſus huius & duorum ſeqq. §§. talis eſt. Quidam ingreſſus eſt Religionem, & emiſit profeſſionem inuita coniuge, ex qua

Reli-

Religione fuit eductus, & coniugi reſtitutus. Poſtmodum vxor mortua eſt. Dubitatur numquid teneatur ad monaſterium redire? Et dicitur quód non, nec tamen poteſt aliam vxorem ducere, quia in profeſſione emiſſa ab habente vxorem continetur votum non petendi debitum; licet autem profeſſio nulla ſit, non tamen nullum eſt votum. Sed ſi ſciente vxore, & non contradicente, profeſſionem emiſit, ea mortua tenetur in Monaſterio permanere, aliàs erit apoſtata, nec amplius poterit vxorem ducere, & ſi de facto ducat, matrimonium eſt nullum. Quod multò magis procederet, quando vxor conſenſiſſet expreſsè.

§. *Quid ſtatuemus*

Coniux, qui credens coniugem mortuum eſſe, profeſſus eſt in Monaſterio, & deinde cum viuum eſt ſequutus, mortuo coniuge non poteſt compelli ad redeundum, quia profeſſio facta non tenuit ad tex. *in c. 2. cum ibi notatis de translat. Epiſc.* Quando tamen coniux non eſt plenè certioratus de coniugis morte, alterum coniugium facere non poterit, etiam ſi in eo ſit ſuſpicio incontinentiæ. Et eſt notandum, quòd licet coniux non poſſit coniuge inuito emittere profeſſionem in Religione, poterit tamen vir inuita vxore vouere peregrinationem ad Terram Sanctam, & votum adimplere. Videatur gloſs. *hic in verb. licet*.

§. *Ergò*

Ad intelligentiam præmitto, quòd iudicium petitorium dicitur, quando agitur de proprietate: & poſſeſsorium, quando ſolùm agitur de poſseſſione, quæ poſſeſſio nihil habet commune cum proprietate *l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. poſſeſſ.*

Hoc poſito in caſu iſtius §. petitorium eſt, cum coniux dixerit alium eſse ſuum coniugem, quia matrimonium eſt validè contractum. De poſseſsorio ageretur, quando mulier peteret ſeparari, & maritus diceret non eſſe ſeparandum, ſed eſse manutenendum in poſſeſſione: vel ſi illa ſit ſeparata, & maritus diceret ſibi eſse reſtituendam.

Ponimus modò caſum. Mulier quædam diſceſſit à domo viri, cum quo manſerat facto matrimonio. Maritus dicit illam eſse ſuam vxorem, & ideo quòd debeat ad ipſum redire. Mulier excipit quòd matrimonium non valet propter aliquod impedimentum. In iſto caſu prius eſt cognoſcendum an matrimonium ſit

vali-

validum, ex quo petitorio iudicio maritus cæpit agere; ſed ſi maritus non dixiſset illam eſse ſuam vxorem, ſed ſolùm quòd ſibi reſtitui debeat illa mulier quæ diſceſſit, quæ, manebat tanquam vxor, tunc non eſt prius cognoſcendum de impedimento oppoſito: ſed eſt facienda ſtatim reſtitutio circa omnia, etiam circa carnis commixtionem, & poſtea cognoſcitur de impedimento, & de inualiditate matrimonij; vnde agenti petitorio ad coniugem obſtat conſanguinitatis exceptio: ſecus agenti poſseſsorio, quia antequam de exceptione cognoſcatur, eſt facienda plenaria reſtitutio, niſi tamen conuentus excipiens iuret de calumnia, & probationes habeat in promptu ſuper exceptione; quo caſu fit reſtitutio quoad alia, non quoad carnis commixtionem.

Ceterum si mulier timeat ſæuitiam viri, non eſt reſtituenda, etiam quod vir vellet ſatisdare de ipſam non offendendo; ſed debet ſequeſtrari apud honeſtam mulierem, quia non tenetur ſe committere fragilitati cautionis, & ſatisdationis *c. litteras, de reſtit. ſpoliat. & ibi gloſſ. in verb. ſufficiens*.

Sed ſi mulier fuerit ſolùm traducta in domum, nullis præcedentibus ſponſalibus, aut matrimonio, non fit reſtitutio, quia notorium eſt nullum ius in poſseſſione competere illi viro.

§. *Fornicationis*

Si poſt factam ſeparationem à propria vxore, ea viuente ducat quis ſecundam vxorem conſciam quòd prima ſuperuiuat, etiam mortua prima à ſecunda ſeparari debet, aliam tamen ducere non prohibetur.

§. *Hoc tamen*

Si verò mulier matrimonium contraxit cum eo, quem ignorabat coniugatum, mortua illius vxore, quamuis matrimonium ſit nullum, tamen erit in eius poteſtate eumdem virum habere, ne proprius dolus viri ei ſuffragetur.

§. *Cum ea autem*

Ceterùm ſi coniux machinatus fuerit in coniugem ſuam, vt aliam vxorem duceret, etiam illa mortua, non poteſt illam aliam ducere, nec Papa in hoc diſpenſat. Sed ſi non fuit machinatio, ſed ſolùm datio fidei ad inuicem de contrahendo matrimo-

trimo-

trimonium mortua coniuge, dummodò non interceſſerit adulterium, matrimonium taliter contractum ſuſtinetur, imponenda tamen eſt pœnitentia pro eo facto.

§. *Vſquè adeo*

Machinatio autem in alterius coniugis necem adeò ſpem matrimonionij excludit, vt nec ſi infidelis communicato cum Chriſtiana conſilio, eiuſdem maritum de medio ſuſtulerit, licet deinde ad fidem conuertatur, poterit cum ea nuptias contrahere, nec antea contractas retinere poterit, quia impedimentum eſt ex parte mulieris Chriſtianæ, quæ fuit particepes huius criminis.

§. *Diuerſa ratio*

Hoſtis verò, qui in bello occidit maritum alicuius, nulla habita contemplatione matrimonij, poterit ſine vlla diſpenſatione illam vxorem ducere.

Si quis verò machinatus fuerit necem alterius coniugis, etiam non ſequuto effectu, numquam poterit inſidiator ſi ſuperuixerit ad alias nuptias aſpirare: ſi tamen contraxerit de facto, matrimonium tenet. gloſſ. *in c.* 1. *de diuort. in verb. inſidiatrix*. Et gloſſ. *hìc in §. ſed & ſi machinationem in verb. admiſerunt.*

§. *Illud quoquè*

Notandum eſt quòd de Iure ciuili ſunt impoſitæ plures pœnæ contra mulieres nubentes intra annum luctus, tam ratione feſtinationis ad ſecundas nuptias, quam ratione iniuriæ factæ filijs primi matrimonij. Pœnæ reſpicientes feſtinationem, quæ irrogabant infamiam, hodie ſunt ſublatæ per dictum Apoſtoli, mortuo viro mulier ſoluta eſt viri legibus, & ideo nubat in Domino *c. fin. de ſecund. nupt.* vbi videtis quòd Apòſtolus nullum tempus præſcribit pro ſecundis nuptijs. Pœnæ verò, quæ reſpiciunt iniuriam filiorum, vt quòd mulier amittat tutelam illorum &c. non ſunt ſublatæ, ſecundùm opinionem Bart. *in l.* 1. *C. de ſecund. nupt.* quæ opinio communiter recipitur.

Contrahentes verò ſecundas nuptias non debent à Presbytero benedici, cùm in tranſeuntibus ad bigamiam benedictio iterari non debeat *c. vir autem, de ſecund. nupt.*

De

De Rebus ſacris, Sanctis, & Religioſis

TIT. XVII.

Dictum eſt de Sacramentis, erat modò videndum de Rebus Sacris, & Sanctis, vt ſunt Eccleſiæ, Altaria, vaſa ſacra, & ſimilia ad Dei cultum deſtinata: & poſtea dicetur de Rebus Religioſis, quales ſunt Domus Religioſorum, Hoſpitalia, Coemeteria, & Sepulturæ.

De Conſtruendis, conſecrandis, & reparandis Eccleſijs, & Altaribus

TIT. XVIII.

Eccleſia accipitur tribus modis. Primò pro Congregatione omnium fidelium, & dicitur Eccleſia Vniuerſalis. Secundò pro vna Diœceſi, & ſic dicitur v.g. Eccleſia Mediolanenſis. Tertiò modo accipitur pro vno ædificio manufacto, in quo Sacra peragantur; & ita accipitur *hìc*. Non licet autem celebrare, niſi in Eccleſia, dummodò non ſit priuilegium, vel ſumma neceſſitas, vt quia Eccleſia ſit combuſta, quo caſu donec reſtauretur, in Oratorijs non conſecratis poteſt celebrari. Conſtitutis etiam in itenere Eccleſia non reperta, licet celebrare ſub Cælo aperto, ſiue in priuatis domibus, cum Tabula tamen ſacra. Qui verò ſine priuilegio, vel neceſſitate in priuatis domibus celebraret, eſt deponendus. *can. Clericos, de conſecr. diſt.* 1.

§. *Conſtruuntur*

Quatuor ſunt cauſæ conſtruendi Eccleſias, quæ ponuntur in hoc, & ſeq. §§. ſeqq. Prima eſt cum infideles ſunt conuerſi ad fidem. Secunda ob neceſſitatem populi, quia ob eius incrementum vna Eccleſia capere non poſſet omnes. Tertia propter commoditatem plebium, vt quia longè diſtat Eccleſia. Quarta intuitu alicuius Vniuerſitatis, puta leproſorum &c.

§. Epi-

§. *Epiſcopo*

Poteſt etiam ædificari Eccleſia in priuilegium Epiſcopalis dignitatis, vel vt Epiſcopus in ea Monaſterium faciat, vel vt in ea ſibi eligat ſepulturam. Primo caſu poterit illi quinquageſimam partem dare de rebus Eccleſiæ, cui præſidet, vel etiam de rebus menſæ ſuæ. Secundo caſu solùm centeſimam. Abb. *in c. penultim. de donationib.*

§. *Quacunquè*

Si ædificanda ſit Eccleſia, Epiſcopus debet accedere ad locum, & ibi figere Crucem, & publicè deſignare aream, & atrium, nec antea debet illam conſecrare, quam receperit inſtrumentum dotis ab illis, qui inſtant conſecrari, quæ ſufficiat pro oneribus ſuſtinendis *c. cum ſicut, de conſecr. Eccl. vel Altar.* Si verò Eccleſia neceſſariò ſit ædificanda, & nemo ſit, qui illam dotet, tunc quærenda eſt dos ex eleemoſinis. Gloſſ. *hic in verb. valeat* & Abb. *in c. ad audientiam il 1. de Eccleſ. ædificand.*

§. *Sed ſi quis*

Quòd ſi per ædificationem Eccleſiæ pateat alicui ius ſuum in aliquo minui, debet is nunciare nouum opus, ne ædificetur, & nunciatio iſta ſit in ipſo ædificio, vel vbi poſita ſunt præparatoria *l. 1. §. opus nouum ff. de oper. nou. nunciat.* Et facta nunciatione non poteſt ædificari, niſi obtenta remiſsione vel à Iudice, vel à parte; alioquin venit deſtruendum quod poſtea fuerit ædificatum, niſi ſit notorium, nunciantem nullum ius habere.

§. *Diuerſum*

Nulla autem Eccleſia poteſt ædificari ſine conſenſu Epiſcopi; aliàs qui ædificat, amittit Iuſpatronatus, quod acquiritur per ædificationem.

§. *Baſilica*

Eccleſia conſtructa debet citò conſecrari, vt in ea poſſint ſacra myſteria celebrari, & ſemel conſecrata non poteſt iterum conſe-

crari. Quod ſi de conſecratione dubitetur, conſecrari debet; non enim dicitur iteratum quod ſemel eſſe factum ignoratur. Quod tamen ſub conditione ab Epiſcopo fieri debet, ſecundùm opinionem gloſſ. *in can. ſolemnitates de conſecr. diſt. 1. verb. facit.*

Si verò dubitatur à quo Eccleſia, ſit conſecranda, ex quo nouus populus ſit conuerſus ad fidem; & Eccleſiam conſtruxerit; & tunc ſi eſt Epiſcopus, qui illum populum conuertit, ab eo conſecranda eſt: ſi verò non ſit Epiſcopus, & tunc conſecrat ille, in cuius Diœceſi eſt, vel vbi adminiſtratur Chriſma quolibet anno; Quod ſi nullus Epiſcoporum aliquam iuriſdictionem ibi exercuerit, & tunc Superior declarabit ad quem pertinere debeat conſecratio. Abb. *in c. 1. de religioſ. domib.*

§. *Sed ſi Eccleſia*

Si Eccleſia fuerit in totum exuſta, erit iterum conſecranda: Si verò fuerit polluta effuſione ſanguinis humani, & iniurioſi, aut effuſione ſeminis humani voluntaria, vel quia in ea fuerit ſepultus excommunicatus, erit ſolùm reconcilianda, non autem conſecranda.

Sed dubitatur quid ſi ſolùm altare motum fuerit, ita vt primam formam amiſerit, aut lapis ſuppoſitus, qui ſigillum continet, fuerit confractus, aut penitus diminutus, an Eccleſia ſit iterum conſecranda? Et dicitur, quòd non, ſed ſolùm Altare de nouo conſecrandum erit *c. ligneis, vbi DD. de conſecr. Eccleſ. vel Altar. can. ſi motum de conſecr. diſt. 1.*

§. *Conſici*

Poteſt autem Eccleſia conſecrari non ſolùm diebus Dominicis, ſed etiam feriatis, dum tamen Epiſcopus ſit qui conſecret; nam alius etiam mortuo Epiſcopo non poteſt. Imò nec Eccleſiarum reconciliatio poteſt fieri ab alio, quàm ab Epiſcopo, quæ reconciliatio fit aqua benedicta. Et ratio eſt, quia ea, quæ ſunt ordinis, & dignitatis Epiſcopalis non poſſunt demandari niſi habenti ordinem, & dignitatem Epiſcopalem: ea verò, quæ ſunt Iuriſdictionis demandari poſſunt etiam inferioribus, prout eſt inſtituere Clericos in Eccleſia, conferre beneficia, excommunicare &c.

Sin autem eſt conſecranda Eccleſia, in qua ſint ſepulta corpora infidelium, Epiſcopus debet prius euellere inde ea corpora, & raſis parietibus, & tignis, quod ſufficit facere per dealbationem,

vt inquit gloſſ. hic in §. illud etiam in verb. raſis, illam conſecrabit. Quælibet autem Eccleſia conſecrata, debet conſecrationis ſuæ feſtum celebrare ſingulis annis.

Reparatio autem Ecclesiæ pertinet ad illius Rectorem, & Epiſcopus debet de ſuo tertiam partem contribuere. Hodiè tamen de conſuetudine Epiſcopi nihil contribuunt, quæ conſuetudo valet ſecundùm Innocentium *in c. fin. de his, quæ fiunt à maior. part.* Quod ſi aliter Eccleſiæ prouideri non poteſt, tunc exiſtentes ſub Parochia tenentur contribuere, ex quo ibi recipiunt diuina.

De Vnionibus Eccleſiarum

TIT. XIX.

VNio eſt plurium Eccleſiarum facta connexio. Et duplex eſt, perpetua, & temporalis. Perpetua, quæ in perpetuum fit; & temporalis, quæ fit ad vitam Beneficiati. Vniones autem ad vitam hodie ſunt ſublatæ, ne ſub prætextu vnionis quis habeat plura beneficia incompatibilia. Conc. *ſeſſ. 7. cap. 4. de reform.* Gonzal. *ſup. 8. reg. Cancell. gloſſ. 5. §. 7. num.* 146. licet Papæ poteſtas ligata non remaneat, qui in Signatura Gratiæ illas conſideratis cauſis concedit, vel denegat, vt ſubdit idem Gonz. Vnio verò perpetua fit tribus modis.

Primò per viam ſubiectionis, ita vt vna Eccleſia alteri ſubijciatur pro illius dotis augumento, vel patrimonij, & tunc illa Eccleſia, cui fit vnio, remanet ſuperior, & principalior.

Secundò fit æquè principaliter, quando duo beneficia inuicem vniuntur, vt ex duobus fiat vnum, & mutuò communicantur bona, ac priuilegia.

Tertio fit quoad caput, & gubernationem, vt vtraque Eccleſia maneat cum ſuis bonis, & iuribus diſtinctis, & ſeparatis, ſicut prius, ſed habeat vnum ſolum Epiſcopum, vel Rectorem, & quælibet habeat ſua priuilegia, iura, & ſtatuta. Sed in rebus alteram concernentibus Epiſcopus, ſeù Rector ſe inſcribere debet primò ſecundùm titulum illius. Ita Gonzal. *loc. ſupr. cit. num.* 27. *& ſeqq.*

§. *Velut*

Duæ ſunt cauſæ iuſtæ vniendi, nempe neceſſitas, & vtilitas.

Neceſſitas eſt, vt ſi redditus Eccleſiæ ſint adeo tenues, vt non poſſit reperiri ſufficiens Rector pro ea. Vtilitas eſt, ſi populus vnius Eccleſiæ ſit diminutus, ita vt non ſit neceſſe, vt habeat vnum Rectorem diſtinctum.

Vnire autem Epiſcopatus ad Romanum Pontificem pertinet: minores verò Eccleſias ad Epiſcopum, cui ſubſunt. Propriæ tamen menſæ, vel Capitulo vnire beneficia Epiſcopus non poteſt. vt *hìc in §. vſque adeo*, & ibi gloſſ. *in verb. menſa* Inferiores verò Epiſcopo vniones beneficiorum, ſeù monaſteriorum facere non poſſunt sine Diœceſani conſenſu, nec ſufficit conſenſus Metropolitani, qui in Diœceſi ſui Suffraganei non debet aliquid ſine conſenſu illius attentare.

§. *Nec ſolùm*

In vnione autem facienda requiritur non ſolùm conſenſus Capituli, ſed etiam eorum, qui per eam lædi poſſunt, etiam ſi fiat à Papa, quia tunc intelligitur Papam nolle alicui præiudicare; Vnde ſi vniuerit Eccleſiam vnius Epiſcopi Eccleſiæ alterius Epiſcopi, & ſic in diuerſis diœceſibus illis Eccleſijs exiſtentibus, Epiſcopus Eccleſiæ vnitæ retinet iura ſua, ſuper quo eſt regula Cancellariæ 18. *de non tollendo Ius quæſitum*.

§. *Diſſoluetur*

Vnio temporalis diſſoluitur temporis lapſu: perpetua verò poteſt diſſolui cum conſenſu, & auctoritate eorum, cum qua fuit facta, ceſſantibus eiuſdem cauſis, ex quibus facta fuit. Et licet Eccleſia vacans poſſit alteri vniri: vacantis tamen Eccleſiæ vnio diſſolui non poterit, vt notatur *in c. 1. ne ſed. vacant.*

De Immunitate Eccleſiarum, & Subiectione

TIT. XX.

Eccleſiæ gaudent immunitate, & debent Epiſcopo ſubiectionem, & ideo ponitur præſens titulus.

Immunitas eſt à muneribus exemptio, quæ ſumitur latè pro quolibet Eccleſiæ fauore, & priuilegio. Triplex autem eſt, localis, perſonalis, & realis.

Lo-

Localis eſt quæ conceditur loco vt Eccleſiæ, Cœmeterio, Oratorio, Hoſpitali, & Palatio Epiſcopi.

Immunitas autem Eccleſiæ tanta eſt, vt nullum ſeculare negotium in ea tractari poſſit, quia domus orationis eſt. Vnde excommunicantur Iudices ſeculares, qui cauſas ingerentes pœnam ſanguinis tractant in Eccleſijs, vel earum Cœmeterijs, & proceſſus in eis facti, ſunt nulli. Sed cetera negotia in eis facta tenent, licet fieri prohibeantur, vt per gloſſ. *hic in* §. *ſecularis*, *in verb. proceſſus*.

Sic non erit licitum abſtrahere ab Eccleſijs, alijſque locis ſacris aliquem inuitum ſub pœna excommunicationis, nequè ab ambitu, vel domo Epiſcopi intra triginta paſſus *can. quiſquis* 17. *quæſt.* 4. Sed Iul. Clar. in ſua prax. *quæſt.* 15. inquit, immunitatem ambitus non eſſe in vſu ob frequentiam Eccleſiarum, quia quilibet ſceleſtus eſſet tutus domi ſuæ; vbi tamen talis immunitas ſeruatur, eſt inuiolabiliter ſeruanda. Et vbi aſſeruatur diù, noctuque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, immunitas ambitus eſt per quadraginta paſſus.

§. *Sacrorum*

Abſtrahens aliquem inuitum à ſacris locis excommunicatur; vt diximus. Sed hoc limitatur in aliquibus caſibus, vt quando agitur de publicis latronibus, craſſatoribus, depopulatoribus agrorum, viarum obſeſſoribus &c. De ſuper hoc emanauit conſtitutio S. M. B. Pij Quinti, in qua certis caſibus abſtrahendi ab Eccleſijs delinquentes facultas Principibus ſecularibus data eſt. Sed cùm plures ea abutentes plura inde mala euenire cæpiſſent, Gregorius Decimuſquartus *conſtit. lata anno* 1591. 24. *Maij* illam reuocauit, immunitatemque Eccleſiarum ſeruari præcepit. Excipit tamen publicos latrones, viarumque craſſatores. Item depopulatores agrorum, proditores, reos hæreſis, vel læſæ maieſtatis in perſonam ipſius Principis. Qui tamen delinquentes ſunt abſtrahendi ab Eccleſia auctoritate non ſecularis Curiæ, ſed Eccleſiaſticæ. Hanc autem conſtitutionem inter ceteros commentatus eſt Alexander Ambroſinus.

§. *Perſonalis*

Immunitas perſonalis eſt, quæ perſonis Eccleſiaſticis conceditur, quia qui Deo dicati ſunt, ab omnibus muneribus perſonalibus

libus vacare debent. Et munera perſonalia ſunt quæ cum labore corporis, & animi ſollicitudine, ac vigilantia ſuſtinentur. Sed tempore magnæ neceſſitatis non eximuntur Clerici à murorum cuſtodia, nec excuſantur à tutela, vel cura miſerabilium perſonarum. Et miſerabiles perſonæ dicuntur pupilli pauperes, viduæ pauperes, ſenes pauperes, cæci pauperes &c. ſemper enim debet eſſe coniuncta paupertas, quia ſi ſint diuites, non deſunt qui eos defendent.

§. *Realis*

Immunitas realis eſt, per quam res Eccleſiaſticæ à cenſibus, vel collectis Poteſtatum ſecularium, & ab eorum Iuriſdictione liberæ ſunt. Vnde nec poſſunt ſeculares ad proprium fauorem aliquid diſponere ob defectum Iuriſdictionis *c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut.* Si tamen ſit maxima neceſſitas, vel vtilitas, conſulto prius Summo Pontifice, & ab eo venia impetrata, poſſunt ſeculares recipere ab Epiſcopo cum ſuo Clero ſubſidium aliquod, cum humilitate tamen, & gratiarum actione.

§. *Quemadmodum*

Quemadmodum autem Eccleſijs debetur immunitas tam ratione loci, quàm perſonarum, & rerum, ſic etiam propter eaſdem rationes ab eiſdem Eccleſijs debetur proprio Epiſcopo omnimoda ſubiectio; nam quoad loca, nemo Eccleſiam in Diœceſi ædificare poterit, aut conſecrare ſine proprij Præſulis conſenſu. Quoad perſonas Eccleſiaſticas, Epiſcopo debetur obedientia, ſubiectio, reuerentia &c. Quoad res, ipſi debentur cenſus, Cathedraticum, Synodaticum, annua procuratio &c. de quibus in tit. ſeq.

§. *Sed hæc omnis*

Omnis Epiſcopi poteſtas eſt vel à iure ordinis, & dignitatis: vel à iure Iuriſdictionis: vel à Iure Diœceſis. Iure ordinis, & dignitatis, veluti Clericorum ordinatio, Eccleſiarum, & Altarium conſecratio &c. Iure Iuriſdictionis, veluti excommunicatio, viſitatio, beneficiorum collatio, Clericorum inſtitutio &c. Iure diœceſis, veluti ius exigendi cenſus, decimas &c.

De

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus

TIT. XXI.

NOmen cenſus ſumitur genericè, & ſpecificè. Genericè, pro omni eo, quod ratione ſubiectionis perſoluitur; ſpecificè, pro eo, quod ſoluitur ab Eccleſijs ſubiectis Epiſcopo in Diœceſi exiſtentibus, quod in ſpecie dicitur Cathedraticum, eò quod perſoluatur in honorem Cathedræ Epiſcopalis. Hic autem cenſus ſolet imponi, vel tempore fundationis, ex quo nulla Eccleſia poteſt fundari, vel dedicari ſine licentia Epiſcopi, vel tempore conſecrationis, vel dotationis, aut immunitatis indultæ, ex eo quia Eccleſiæ alicui concedatur libertas; quod etiam ſeruat Sedes Apoſtolica, quando eximit à poteſtate Ordinarij aliquam Eccleſiam, & ſibi immediatè ſubdit.

§. *Sed & Patrono*

Poteſt etiam Patrono conſtitui cenſus per Epiſcopum, quando fundat, vel conſtruit Eccleſiam, vel etiam ſi quid plus contulit Eccleſiæ; quàm ſit dos neceſſaria. Sed iſte cenſus debet eſſe modicus, veluti cereus, vel quid ſimile. Abb. *in c. 1. de cenſib.* Simplices autem Sacerdotes non poſſunt in proprijs Eccleſijs cenſus imponere ſine Apoſtolica licentia; & qui de facto id fecerit, ab ipſa Eccleſia remoueri debet.

§. *Sed nec Epiſcopus*

Epiſcopus, vel alius, vt Abbas non poteſt nouum cenſum imponere, aut veterem augere. Nouus autem dicitur, qui non eſt impoſitus in ipſo limine fundationis Eccleſiæ *can. Eleutherius* 18. *quæſt.* 2. etiam ſi Epiſcopus eripuerit Eccleſiam à manibus Laicorum, ex quo non niſi Cathedraticum exigere poteſt *c. Eccleſijs hoc eod. tit.* Et ratio eſt, quia ad hoc faciendum tenetur ex officio paſtorali *ad tex. in l. congruit ff. de offic. Præſid.* Poterit tamen Epiſcopus nouum cenſum imponere, vel veterem augere de conſenſu Capituli non ad propriam vtilitatem, ſed ad commodum alterius Eccleſiæ ſibi ſubiectæ; vnde requiritur iuſta cauſa, & conſenſus Eccleſiæ, cui imponitur cenſus, ſi eſt Collegiata, vt inquit

inquit gloſſ. *hic*. Quod ſi aliqua Eccleſia ſit de nouo ad fidem conuerſa, debet ſoluere cenſum iuxta conſuetudinem Eccleſiarum vicinarum.

§. *Vlterius*

Epiſcopo autem viſitanti debetur vlterius procuratio. Procuratio autem eſt neceſſariorum ſumptuum exhibitio, circa quos, ne Viſitatores ſint graues Eccleſijs, diſponitur per Concil. *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reform.* quantam familiam ſecum conducere debeant. Et quamuis Epiſcopus remiſerit Eccleſiæ ſibi ſubiectæ omnia ſeruitia, non tamen intelligitur remiſſa procuratio, quæ nec etiam præſcribi poteſt.

Epiſcopus autem poteſt viſitare quaſcunque Eccleſias ſeculares intra fines ſuæ diœc. exiſtentes, vigore diſpoſitionis Concil. *ſeſſ.* 7. *cap.* 8. *de reformat.* etiam ſi ad ſeculares pertineant, & ab eis dependeant. Item Monaſteria quæcumque commendata, in quibus non vigeat regularis obſeruantia. Sic etiam beneficia curata, qualitercumque commendata, ſecularia, & regularia.

§. *Viſitandi*

Illi poſſunt viſitare, qui habent Diœceſim, & per hoc Iuriſdictionem, quales ſunt Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Legati de latere, Nuntij Apoſtolici, Archidiaconi, & Decani. Archiepiſcopus autem poteſt viſitare Eccleſias ſuorum ſuffraganeorum, quamuis ipſi non ſint negligentes: imò dum viſitat, poteſt audire confeſſiones ſubditorum ſui ſuffraganei, eoſque abſoluere, & pœnitentias imponere *c. fin. eod. tit. in 6.* Sed ob Oratorium viſitatum non eſt exigenda procuratio.

Non poſſunt autem Epiſcopi alijs exactionibus ſubditos ſuos grauare: ſi tamen eſſet vrgens neceſſitas, charitatiuum ſubſidium ab eis peti poteſt.

De Capellis Monachorum

TIT. XXII.

ETiam Capellæ Monachorum, & ipſa Monaſteria ſunt ſubiecta Epiſcopo, in cuius diœceſi ſunt, niſi aliter ſint exempta.

Et

Et ſi Eccleſiæ, in quibus habitant Monachi, curam habeant animarum, debet inſtitui Sacerdos ab Epiſcopo ad conſilium Monachorum, quod tamen conſilium Epiſcopus non tenetur ſequi, vt dicit gloſſ. *hic*. Dicitur autem debet inſtitui Sacerdos, quia Monachus non debet exercere curam animarum, niſi habeat licentiam à Papa, quæ conceditur in Signatura Gratiæ.

Sed an poſſit præponi Monachus Eccleſiæ Curatæ, vel Collegiatæ ſine diſpenſatione, eſt quæſtio per DD. agitata, de qua Ceuall. *in ſuis comm. con. comm. quæſt.* 81. qui concludit quod ſecularia ſecularibus, & regularia regularibus concedenda ſunt. Et ratio eſt quia Monachi debent eſſe dediti vitæ contemplatiuæ; vnde non debent vacare vitæ actiuæ.

De Religioſis Domibus

TIT. XXIII.

Dictum eſt de rebus ſacris, & ſanctis, ſequitur de rebus religioſis, prout ſunt domus religioſæ, veluti Xenodochia, vbi recipiuntur pauperes peregrini: Orphanotrophia, vbi orphani, ideſt parentibus deſtituti nutriuntur: Bethotrophia, vbi aluntur infantes pauperum: Noſocomia, vbi ægroti curantur: Gerontocomia, vbi pauperes ſenes gubernantur, & ſimilia. Omnia autem Hoſpitalia, & cetera loca religioſa ſubſunt Epiſcopo, qui debet curare, ne illorum bona diſſipentur, nec in vſus prophanos conuertantur. Et ſi fuerint loca exempta, adhuc Ordinarij poterunt auctoritate Apoſtolica ſalubriter reformare, & bona occupata, alienata, & diſperdita in priſtinum ſtatum redigere, & contradictores cenſuris Eccleſiaſticis compellere.

Quod ſi in locis, vbi ſunt hoſpitalia non ſint infirmi, aut peregrini, aut ſenes &c. vel pauci ſint, fructus illorum in alium pium vſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, conuerti debent vtiliter, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum vſu peritiores ſint, per ipſum eligendis, magis viſum fuerit expedire, niſi in eorum fundatione, aut inſtitutione aliter fuerit expreſſum. Ita Concil. *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. *de reform.*

Adminiſtratio autem talium locorum non poteſt in beneficium conferri, ſed ſolùm ad tempus. Et ſi Laici ſint adminiſtratores, vltra triennium concedi non debet. Tales autem adminiſtratores cùm æquiparentur tutoribus, tenentur præſtare iuramen-

tum de benè adminiſtrando &c. ac debent conficere Inuentaria, & Ordinarijs, ſeu alijs deputatis ab eis ſingulis annis de adminiſtratione ſua rationem reddere.

§. *Prædicta*

Quæ dicta ſunt de Hoſpitalibus, non habent locum in Hoſpitalibus Militarium Ordinum, prout ſunt Equites Hieroſolymitani, vel aliorum Religioſorum, quæ cùm habeant ſua inſtituta illa ſeruare tenentur. Circa Sacramentorum verò exhibitionem in Hoſpitalibus eſt ſeruanda antiqua conſuetudo illorum locorum.

De Sepulturis

TIT. XXIV.

CVm Sepulturæ fidelium non niſi in ſacris, & religioſis locis conſtruantur, ideo nunc de illis ponitur. Fuit autem inductum, vt fideles in ſacris locis ſepelirentur, quia in eis ipſorum corpora minus à ſpiritibus immundis vexantur; Item quia frequentius commendantur patrocinijs Sanctorum, quorum nomini Eccleſia eſt conſecrata: & etiam quia defunctorum proximi ad loca ſacra venientes, ipſorum recordantur orantes.

§. *Regulariter*

Defunctus regulariter ſepeliri debet, vbi elegerit ſepulturam; alioquin ſi non elegerit, debet ſepeliri in Maiorum ſepulchro, vel in Parochiali Eccleſia; & ſi vxor moritur poſt maritum non electa ſepultura, debet ſepeliri vbi maritus ſepultus eſt, & ſi plures habuit maritos, vbi vltimus ſepultus eſt.

§. *De Filiofamilias*

Dubitatur autem de filio familias an poſſit ſibi eligere ſepulturam? Et diſtinguitur, quia ſi eſt impubes, non poteſt, ſed pater poterit illum ſepelire vbi voluerit, niſi aliud ſit de conſuetudine: aut eſt pubes, & poteſt, etiam ſine conſenſu patris ſibi ſepulturam eligere.

Quod ſi non habeat peculium caſtrenſe, vel quaſi, poterit de conſenſu patris de aliquo diſponere ad pias cauſas pro anima ſua *c. penult. hoc eod. tit. in 6.*

Sic Religioſi in hoc caſu ſimiles ſunt impuberibus, & ideo non poſſunt ſibi eligere ſepulturam; quapropter debent ſepeliri in proprijs Monaſterijs, niſi mortui ſint in loco adeo remoto, vt commodè non poſſint ad Monaſterium adſportari; quo caſu poterunt ſibi eligere ſepulturam. Abb. *in c. nimis, de exceſſib. Prælat.* Et ſi non elegerint, debent ſepeliri in Parochiali Eccleſia, ſub qua mortui ſunt.

§. *Alias*

Non poteſt quis etiam iureiurando adſtringi, vt in certa Eccleſia ſepeliatur, quia nihilominus liberam habebit facultatem eligendi. Idem etiam eſt in voto, quia tale iuramentum, vel votum non ligat *ad tex. in c. 2. de reb. Eccleſ. non alien. in 6.* & habetur *in c. 1. hoc. eod. tit. in 6.* Sic de Iure Ciuili non valet donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum, quia auferret liberam facultatem teſtandi, qua nemo priuari poteſt *l. ſtipulatio hoc modo concepta ff. de verb. obligat.*

§. *Illud tamen*

Mortuus ruri non electa ſepultura, ſi abſque periculo adſportari poteſt, non in Eccleſia ruri poſita: ſed vel in propria Parochia, vel vbi Maiores ipſius ſepulti ſunt, ſepeliri debet.

§. *Non tamen*

Excommunicati non poſſunt ſepeliri in Ecclesia, quia quibus non communicauimus viuis, nec mortuis communicare debemus. Idem dicitur de Infidelibus, hæreticis, & alijs impœnitentibus. Et qui tales ſepeliuerint, ſunt excommunicati, si id fecerint in contemptum clauium Eccleſiæ, ideſt Eccleſiaſticæ poteſtatis: & tenentur proprijs manibus eos extumulare, nec aliter abſoluendi ſunt, quàm arbitrio Epiſcopi ſatisfecerint. Et corpora infidelium ſepultorum si poſſunt dignoſci ab alijs corporibus, debent procul abijci, alias non, ne fidelium corpora per errorem abijciantur. Reconciliati verò cum Ecclesia Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poſſunt: sicut etiam cadauera punito-

rum, qui pœnitentiam egerunt. Deprahensi quoque in ſcelere, & vulnerati, ſi confeſſi ex illis vulneribus mortui ſint, ab Eccleſiaſtica ſepultura non ſunt arcendi, prout qui improuiſo caſu oppreſſi moriuntur, niſi aliud obſtet.

§. *Illud etiam*

Pro ſepultura Clerici non poſſunt aliquid exigere, non obſtante aliqua conſuetudine: ſed ſponte oblatum accipere poſſunt. In hoc tamen ſtandum eſt diſpoſitioni Statutorum ipſius Cleri, prout Romæ ſeruatur.

De Canonica portione

TIT. XXV.

SEpulturæ interdum eliguntur in alijs, quàm in Parochialibus Eccleſijs; quo caſu conueniens eſt, vt illis aliquid tribuatur, ex quo moriens ex illis Sacramenta percipit, quod dicitur Canonica portio, quæ portio regulariter eſt quarta pars eorum, quæ relinquuntur. Et hæc portio duplex eſt, Parochialis, & Epiſcopalis.

Parochialis eſt, quæ debetur Eccleſiæ parochiali de relictis in vltima voluntate, & de datis cauſa mortis illi Eccleſiæ, in qua quis poſthabita Parochia eligit ſepeliri. Si quid verò relictum eſt in vita, ex eo non detrahitur iſta quarta, ſicut nec detrahitur, ſi relictum ſit ratione certæ perſonæ v. g. Rectori illius Eccleſiæ, in qua eligit ſepeliri, tanquam amico, vel conſanguineo. Idem ſi relictum ſit pro fabrica Eccleſiæ, pro equis, vel armis contra infideles, vel aliàs ad perpetuum cultum diuinum, dum tamen hoc factum non fuerit in fraudem Parochialis Eccleſiæ. Idem eſſet, quando Eccleſia haberet priuilegium, vt non ſolueret iſtam quartam; qua in re ſeruatur conſuetudo.

§. *Canonica portio*

Epiſcopalis Canonica portio eſt quarta, quæ detrahitur ab Epiſcopo de relictis Eccleſijs ſibi ſubiectis, nec poteſt teſtator illam prohibere, quia eſt debita de Iure, niſi fuerit præſcripta ſpatio quadraginta annorum.

Ex

Ex his verò, quæ Epiſcopo ipſi relinquuntur, debetur Eccleſiæ Canonica portio, quam tamen teſtator prohibere poteſt. In dubio tamen ſi à coniunćto aliquid Epiſcopo ſimpliciter relićtum fuerit, non debetur Canonica portio: ſecus ſi ab extraneo.

Si verò coniunćtim tam Epiſcopo, quàm Eccleſiæ aliquid relićtum fuerit, inter ipſos Canonica portio facienda eſt. Quod etiam ſeruari debet, quando aliquid determinatum relinquitur Epiſcopo, & aliud Eccleſiæ, niſi voluntati teſtatoris ambo ſtare velint.

§. *Secus autem*

Quamuis de relićtis Epiſcopo Eccleſia Cathedralis detrahat Canonicam portionem, etiam ſi coniunćtim Epiſcopo, & Eccleſiæ relićtum fuit; ſecus tamen eſt in alijs Eccleſijs inferioribus, vt ſi coniunćtim Epiſcopo, & alicui Cappellæ, vel Monaſterio relićtum ſit, Epiſcopus detrahit ab illa, ſeu ab illo ſuam Canonicam portionem: Eccleſia tamen, vel ipſum Monaſterium nullam poterit detrahere portionem ab eo, quod relinquitur Epiſcopo, quia non eſt tanta coniunćtio inter Eccleſiam inferiorem, cum Epiſcopo, quanta eſt inter Eccleſiam Cathedralem, & ipſum Epiſcopum, cum ſpecialiter dicatur contraxiſſe coniugium ſpirituale cum Eccleſia Cathedrali. Ceterum ſi teſtator aliquid relinquat Epiſcopo cum conditione, vt eo relićto ſit contentus, nec aliam quartam petat de relićtis alteri Eccleſiæ, debet eſſe contentus ſuo relićto, niſi hoc in fraudem ipſius ſit, quia tunc integram ſuam portionem canonicam petere poterit.

§. *Illud*

Si relićtum ſit aliquid Rećtori alicuius Eccleſiæ tanquam amico, vel conſanguineo, nulla habita conſideratione ipſius Eccleſiæ, non erit ex eo portio detrahenda, vt ſupra diximus, nec Eccleſia ipſa illud ſibi vendicare poteſt: ſed ad libitum ille Rećtor de eo poterit diſponere, dum tamen proprium poſſit poſſidere.

De Decimis

TIT. XXVI.

ECcleſiæ Epiſcopali, & Parochiali non ſolùm debetur Canonica portio, vt vidimus: ſed etiam debentur decimæ, de quibus modò videndum eſt. In libro autem Decretalium hæc rubr. eſt inſcripta, de decimis, primitijs, & oblationibus.

Primitiæ ſunt primi fructus, qui Deo debentur, & oblationes ſunt ea, quæ Deo offeruntur. Decima autem ſic definitur, eſt quota bonorum mobilium portio, Deo tam diuina, quàm humana conſtitutione debita.

Dicitur quota, quia non eſt certa portio; quamuis enim ab initio eſſet conſtituta pars decima: tamen ex conſuetudine potuit fieri & maior, & minor. Sic poteſt eſſe tertia, vel quarta pars, vel etiàm vigeſima, & trigeſima &c.

Dicitur, diuina, & humana conſtitutione, quia à Iure diuino fuit inducta in ſignum vniuerſalis dominij, quod habet Deus omnium rerum, & à Iure poſitiuo fuit recepta, & confirmata.

Decimæ autem quædam ſunt perſonales, quædam prædiales, & quædam mixtæ.

Perſonales ſunt quæ debentur ex acquiſitis per induſtriam perſonæ, vt de mercatura, de labore, de militia &c.

Prædiales ſunt quæ debentur de fructibus prædiorum.

Mixtæ quæ prouenìunt partim ex prædijs, & partim ex induſtria perſonæ, vt de apibus, vel de animalibus, quæ in prædio certo paſcuntur.

§. *Inter perſonales*

Eſt autem diſcrimen inter decimas perſonales, & prædiales, quia perſonales debentur illi Parochiæ, ex qua quis percipit Sacramenta, quamuis lucrum percipiat in alia Parochia. Sed prædiales debentur illi Parochiæ, in cuius territorio prædia ſita ſunt, niſi ſit alia rationabilis conſuetudo.

Item in perſonalibus decimis deducuntur impenſæ, quas quis in rebus comparandis fecit, & de reſiduis ſoluitur decima: in prædialibus verò impenſæ etiam ſeminis non deducuntur, quam-

uis

uis illæ impenſæ fuerint decimatæ, quia ſiluà decima, fructus ſunt eorum, qui impenſas faciunt, nec poſſunt fructus alienari decima non ſoluta.

Illud autem commune eſt tam perſonalibus, quàm prædialibus, & mixtis, quod impenſæ, quæ fiunt pro reſtauratione, alicuius corporis v.g. pro refectione vineæ, non deducuntur, quia ſoluta decima de fructibus, corpus illud reſtauratum remanet apud Dominum, ſicut de prædialibus dictum eſt.

§. *Sed nec cenſus*

Prius autem eſt deducenda decima ex fructibus, & poſtea deducuntur cetera onera, vt tributa, & vectigalia; quia ipſe Deus, qui fructus procreauit, ſibi reſeruauit decimas in ſignum vniuerſalis dominij.

Omnes verò compelli poſſunt ad ſoluendas decimas per cenſuram Eccleſiaſticam. Imò poſſunt Clerici apud Iudicem ſecularem petere vt Laicus compellatur in caſu, quo ageretur an decimæ ſint ſolutæ, an ipſe laicus teneatur, vel alius &c. vno verbo, quando eſſet quæſtio de facto: non autem in caſu, quo ageretur de Iure ipſarum decimarum, nec de exemptione, aut priuilegio ab earum ſolutione liberante, quia cognitio iſtarum rerum ſpectaret ad Iudicem Eccleſiaſticum.

§. *Eadem ratione*

De omni fructu ſoluenda eſt decima, etiam de apibus *c. nuncios hoc eod. tit.* Quod intelligitur de omni fructu licitè acquiſito; Quoniam Eccleſia non recipit decimas à meretrice, nec ab vſurario, ne videatur approbare eorum delicta *c. ex tranſmiſſa eod. tit. & ibi gloſſ.*

Omnes autem tenentur ſoluere decimas tam Chriſtiani, quàm Iudæi, & ceteri Infideles. Sed hi ſolùm tenentur ſoluere prædiales: Chriſtiani verò etiam perſonales. Imò ratione intereſſe tenentur etiam Infideles ad perſonales, quoniam ſi Iudæus habitaret in aliqua Parochia, teneretur ſoluere tantum, quantum ſolueret Chriſtianus, ſi inibi habitaret, quamuis Iudæus ſit extra Eccleſiam, nec recipiat Sacramenta *c. gaudemus de diuort.*

Papa verò poteſt priuilegium concedere, quod quis, non ſoluat decimas. Neque hoc eſt tollere Ius diuinum: ſed tantùm illud limitare, & declarare; non enim per hoc fit, quòd ſimpliciter,

citer, & abſolutè decimæ non ſoluantur; quod facere non poſſet;

§. *De Monachis*

Omnes Monachi, omnesque Regulares communiter viuentes, qui de proprijs laboribus viuunt, non tenentur ſoluere decimas perſonales, quia qui viuunt de ſuis laboribus dicuntur pauperes. Abb. *in c. quod ſuper de vot. & vot. redempt. num.* 4. prædiales verò ſoluere tenentur, etiam de noualibus. Et nouale eſt ager nuper ad culturam redactus, de quo non eſt memoria, quòd aliquando fuerit cultus. Imò etiam tenentur ſoluere Monachi, & alij communiter viuentes de prædijs, quæ proprijs manibus, aut ſumptibus colunt, etiam ſi ſint nouiter acquiſita, niſi de hoc habuerint à Papa priuilegium, quod non fuerit ſublatum, vel præſcriptione quadraginta annorum, vel re iudicata. tale autem priuilegium debet intelligi conceſſum ita vt alteri læſio non inferatur, imò nec debet extendi *l. Ius ſingulare ff. de legib.*

§. *Super decimis*

Priuilegiati ſuper decimis tenentur tamen illas ſoluere de prædijs conductis. Et qui ſunt priuilegiati, vt non ſoluant decimas perſonales de ſuis laboribus, tenentur illas ſoluere de prædijs locatis, quia tunc ea proprijs laboribus non colunt, & ſic non militat ratio priuilegij.

§. *Generaliter*

Laici cuiuſcunque ſint poteſtatis, etiam Imperialis, non poſſunt dare priuilegium alicui de non ſoluendis decimis. Primo quia hoc eſt de Iure diuino. Secundo quia decimæ ſunt res ſpirituales, & in ſpiritualibus Laici nullam habent poteſtatem *c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut* Et qui non ſolueret decimas ſub prætextu talis priuilegij eſſet excommunicatus, ſicut etiam Laicus, qui priuilegium concederet.

Sed an Laici poſſint ipſi percipere decimas de manu Clericorum? Et dicitur quòd non ſub pœna excommunicationis, ex quo Laici penitus ſunt incapaces decimarum, etiam exiguarum: ſed cum beneplacito Sedis Apoſtolicæ poſſunt fieri capaces, ſoluuntur tamen Laicis aliquando ſubſidia Eccleſiaſtica.

§. Si

§. *Si quis*

Redditus decimarum locari poſſunt, dummodo locatio non ſapiat alienationem vel directi, vel vtilis dominij. Et regulariter locatio rerum Eccleſiaſticarum non fit vltra triennium, niſi obtenta fuerit licentia à Papa in Signatura Gratiæ. Mandoſius *in tract. de Signat. Grat. tit. Indultum locandi redditus Beneficiorum.*

§. *Poſtremùm*

Epiſcopo demum debetur quarta decimarum à Rectoribus Eccleſiarum, niſi legitima obſtet præſcriptio *c. de quarta de præſcript.*

De Rebùs Eccleſiæ alienandis, vel non

TIT. XXVII.

SEquitur nunc de rebus Eccleſiaſticis merè temporalibus, illarumque adminiſtratione & alienatione: hic autem nomine alienationis venit quælibet alienatio dominij, vel directi, vel vtilis, ac etiam poſſeſſionis, vt eſſet pignorare, hypothecare &c.

Vt autem poſſit fieri hæc alienatio, requiritur primo iuſta cauſa, nempe neceſsitas, vel euidens vtilitas, quæ ſit clara, & indubitata. Secundo requiritur ſolemnitas, nempe præcedens tractatus, conſenſus Capituli, auctoritas Epiſcopi, & ſubſcriptio *c. 1. hoc eod. tit. in 6.* Hodie tamen ſi ſint res immobiles, vel mobiles magni valoris requiritur beneplacitum Sedis Apoſtolicæ, quod impetratur in Signatura Gratiæ, cum clauſula, ſi in euidentem &c. Ita *in extrau. Ambitioſa* Pauli Secundi, *de Reb. Eccl. non alien.* Si verò ſit prædium inutile, exiguum, & modici valoris, & longè diſtans ab ipſa Eccleſia, poteſt alienari ſine dicto beneplacito, ſi ſit neceſsitas iudicio Epiſcopi *can. terrulas 12 quæſt. 2.*

§. *Sed nec commiſſam*

Rector autem Eccleſiæ non poteſt illam grauare pro alienis debitis, alias eſſet ſuſpenſus ipſo iure ab adminiſtratione rerum

tam ſpiritualium, quàm temporalium ipſius Eccleſiæ. Limitatur tamen, ſi fuiſſet vrgens neceſsitas Eccleſiæ, vel præceſsiſset mandatum Epiſcopi, aut debitum in euidentem Eccleſiæ vtilitatem verſum fuerit, quia tunc etiam ſucceſsor in beneficio obligatur. Poteſt tamen Prælatus concedere tantum terræ ad conſtruendam Eccleſiam, quantum parietes Eccleſiæ capere poſsint.

§. *Idem Iuris*

Prouentus tamen Eccleſiaſtici poſsunt vendi ad modicum tempus, & concedi ad precariam. Precaria autem non eſt cognita de Iure ciuili, ſed ſolùm precarium vt *in tit. ff. de precario.* Differt autem precarium à precaria, quia precarium eſt conceſſio facta ad preces ſine determinatione vſus, & temporis ad libitum concedentis: ſed precaria eſt conceſsio de quinquennio in quinquennium.

§. *Ruina quoquè*

Si Eccleſia conceſſit alicui prædium in Emphitheuſim, & Emphiteota non ſoluerit canonem per biennium, incidit in commiſſum, & rem amittit cum omnibus melioramentis, etiam quod non fuerit interpellatus. & ratio eſt quia dies interpellat pro homine *l. magnam legem C. de contrab. & committ. ſtipulat.* Et hæc dicitur mora irregularis DD, *in l. quod te ff. ſi cert. petat* ſecus eſt in emphitheota priuati, qui non cadit à iure ſuo, niſi ceſſauerit à ſolutione canonis per triennium *l. 1. & 2. C. de Iur. Emphitheot.*

§. *Sed & in feudum*

Epiſcopus poterit feudum à vaſſallo alienatum, & difficilis recuperationis alteri concedere, ſub conditione, & onere recuperandi illud, non obſtante iuramento de non alienando &c. Idem ſi fuerit feudum deuolutum ad Eccleſiam, alteri concedere poterit, ſi Eccleſiæ expedierit.

§. *Illud etiam*

Si Rector velit manumittere ſeruum Eccleſiæ, & tantum contulit Eccleſiæ, quanti valet ſeruus, manumiſſio valebit. Limitatur quando eſſent ſerui benemeriti, quia eos poterit manumit-

mittere, quamuis nihil Eccleſiæ contulerit. Sed in vtroque caſu requiritur auctoritas Superioris Abb. *in c. conſenſus hoc eod. tit.*

§. *Sed & Princeps*

Si Princeps velit rem ſuam æqualem, vel maiorem permutare cum aliqua re Eccleſiaſtica, permutatio permittitur. Intelligitur autem de eo Principe, qui non recognoſcit Superiorem, qualis eſt Imperator, vt explicat gloſſ. *hic in verb. Princeps*. In tali autem permutatione non requiritur vtilitas Eccleſiæ, ſed ſufficit non eſſe damnum. Eſt communis opinio, de qua teſtatur eadem gloſſ. *hic in verb. probabilis*. Quòd ſi Prælatus nolit conſentire, poteſt cogi ad conſentiendum per Superiorem ſuum. Sed permutatio non poteſt fieri de temporalibus ad ſpiritualia, quia ſaperet ſimoniam, iuxta ea, quæ traduntur *infr. in tit. de Simon. in princ.*

§. *Præterea*

Licet res Eccleſiæ præſcribi poſſint à poſſidente bona fide, & iuſto titulo tempore à lege requiſito, vt *in c. de quarta de præſcript.* & ita alienari *l. alienationis verbo ff. de verb. ſignific.* res tamen ſpirituales, prout ſunt decimæ, primitiæ &c. nunquam præſcribi poſſunt, etiam quod ſuper hoc impetratum fuerit reſcriptum à Summo Pontifice, vt dicitur in hoc textu in fin. qui deſumitur *ex can. iubemus, verſ. ſic etiam prædia 16. quæſt. 3.*

De Peculio Clericorum, Relictis, & Succeſſionibus eorum

TIT. XXVIII.

PLura genera bonorum poteſt habere Clericus, vel adminiſtrare.

I. bona ſtabilia Eccleſiæ, de quibus nullo pacto diſponere poteſt, niſi cum beneplacito Sedis Apoſtolicæ ex neceſſitate, vel euidenti vtilitate, vt ſupra dictum eſt.

II. bona mobilia Eccleſiæ, vt ſunt relicta, & fructus percepti ex bonis ipſius Eccleſiæ. Item vtenſilia eiuſdem, & neque

de iſtis diſponere poteſt, ſed fructus, & pecunias debet conuertere in vtilitatem Eccleſiæ, faciendo Inſtrumenta nomine ipſius Eccleſiæ.

III. ſunt bona beneficij, quod poſſidet, & nequè de iſtis diſponere poteſt ad tex. *in c. ratio nulla, de præbend.* & ibi communiter Doctores.

IV. ſunt fructus ſui beneficij, & de iſtis diſponere poteſt in vita; poſt mortem verò non poteſt, cum Clericus æquiparetur vſufructuario in vita, & vſuario in morte ſecundùm communem opinionem.

V. ſunt diſtributiones quotidianæ, & ea, quæ proprio labore acquiſiuit. Et de iſtis poteſt diſponere etiam poſt mortem.

VI. ſunt bona patrimonialia, & alia ei donata, & relicta à coniunctis, & amicis; & de iſtis quoque diſponere poteſt etiam poſt mortem.

VII. ſunt acquiſita ex negotiatione illicita; & de iſtis non poteſt diſponere: ſed Camera Apoſtolica facit ſpolium.

Permittitur tamen Clericis, vt de fructibus beneficijs poſſint aliquid relinquere pauperibus, vel famulis ſuis, vel conſanguineis pro Eleemoſina, vel pro merito ſeruitij præſtiti, vt *in c. ad hæc de teſtamentis*.

Sed quando Clericus obtinuit à Summo Pontifice facultatem teſtandi, poteſt tunc de omnibus fructibus diſponere, dummodo reſederit in ſua Eccleſia. Ita Pius Quartus *conſt. 91.* Clerici verò Romani originarij, vel incolæ Vrbis Romæ, habent facultatem teſtandi de omnibus bonis *vt in conſtit.* 18. Pauli Quinti, & morientibus ſine teſtamento, non Camera, ſed venientes ab inteſtato ſuccedunt, dummodò in vtroque caſu non moriantur extra reſidentiam, vt *in d. conſtitut.* latè continetur.

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER TERTIVS

De Iudicijs, & illorum diuiſione

TIT. I.

DIximus ab initio Ius Canonicum verſari circa tria, nempè circa perſonas, circa res, & circa iudicia. Vidimus hucuſque de perſonis in primo libro, & de rebus in ſecundo ſequitur modò de Iudicijs. Inſcribitur autem hæc rubr. de Iudicijs, & non de actionibus, quia de Iure Canonico actiones non conſiderantur *c. dilecti, vbi gloſſ. in verb. ſubtiliter, de Iudic.* Iudicia autem de Iure Canonico inſtituuntur vt plurimum per Iudicis officium, quia non eſt neceſſe exprimere ipſam actionem.

Iudicium ſic definitur. Eſt diſcuſſio cauſæ, quæ ritè fit in foro coram Iudice. Sunt etiam aliæ definitiones, quas congerit Marant. *in 2. part. princip.* inter quas eſt illa, quæ communiter affertur, ſcilicet, Iudicium eſt legitimus actus trium perſonarum, ſcilicet Iudicis, Actoris, & Rei. Canoniſtæ *in rubr. de Iudic.*

Forus dicitur locus, in quo Iudicium exercetur *c. forus, de verb. ſignifi.* Cauſa eſt origo negotij, & litis, quæ duplex eſt, vna primordialis, alia accidentalis. Primordialis eſt contractus, vel delictum, quia propter hæc venitur in Iudicium. Accidentalis verò eſt ille articulus, qui apparet ex contentione partium colligantium, ſuper quo formatur dubium principale. Ita Bolognett. *in l. poſtquam liti C. de pact.*

Iudicium fuit à Deo inſtitutum *Gen. cap.* 3. non enim prius damnauit Deus primos Parentes, quàm formauerit Iudicium, eos citando, & audiendo etiam eorum exceptiones, vt daret ho-

mini,

minibus formam iudicandi; vnde non poteſt judicium ab homine tolli.

Tres autem habet partes. Prima eſt præparatoria, quæ incipit à prima citatione vſque ad litis conteſtationem. Secunda eſt diſcuſſoria à lite conteſtata vſque ad conclusionem in cauſa. Tertia eſt deciſoria, ideſt ipſa conclusio, ſeù ſententia.

Prima diuisio Iudiciorum eſt, quòd quædam ſunt Eccleſiaſtica, & quædam ſecularia. Eccleſiaſtica ſunt quæ coram Eccleſiaſtico Iudice inter Eccleſiaſticos, vel de re Eccleſiaſtica agitantur. Secularia ſunt, quæ coram Iudice ſeculari inter ſeculares de re ſeculari aguntur, quæ dependent à ſua poteſtate. Duplex enim eſt poteſtas, altera Sacerdotalis, ſeù Pontificia, quæ æquiparatur Soli: altera ſecularis, ſeù Imperialis, quæ æquiparatur Lunæ. *c. ſolitæ de maior. & obed.*

§. *Laicus*

Sequitur ergo quòd Laicus debet conueniri de re temporali coram Iudice ſeculari. Et regula eſt quòd actor ſequitur forum rei *c. ſi Clericus, de for. compet.* Quæ regula non habet locum, quando agitur de re concernente materiam peccati, & quando agitur de re ſpirituali, prout ſunt decimæ, vſuræ, matrimonium, periurium &c. ſicut etiam non habet locum in omnibus Curialibus, & in his, qui ad Curiam Romanam venerunt pro ſuis negotijs, & litibus, vt interea non poſſint conueniri in Curia, aut terra ſua, aut in quocumque alio loco, niſi in Curia Romana ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actorum in vim Eugenianæ, quæ eſt conſtitutio Eugenij Quarti lata 8. Martij 1432.

Quod autem cauſæ matrimoniales non niſi ab Epiſcopo cognoſcantur mandat Conc. Trid. *ſeſſ.* 24. *de ſacram. matrim. can.* 12. *& in decr. de reform. cap.* 20. Vnde nec per Vicarium Epiſcopi cognoſci poſſunt.

Cauſæ etiam miſerabilium perſonarum debent tractari coram Eccleſiaſtico Iudice. Et miſerabiles dicuntur, qui proprias cauſas tueri non poſſunt *c.* 1. *de poſtuland.* vt mulier derelicta, pupillus, vidua &c. Si tamen ſint pauperes, ſecus ſi eſſent diuites, quia tunc non deſunt qui eos defendant. Et in cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum Clerici ſeculares, aut regulares extra Monaſterium commorantes, non obſtantibus quibuſcumque debent conueniri coram Ordinario loci. Idem Conc. *ſeſſ.* 7. *cap.* 14. *de reform.*

§. Pa-

§. Paritatione

Clerici verò habent priuilegium fori, vt non poſſint conueniri coram Laico. Nec poſſunt Clerici huiuſmodi priuilegio renunciare, quia eſt conceſſum ordini, non perſonæ. Et Clericus conſentiens in Iudicem Laicum, eſt excommunicatus *c. cum non ab homine, de Iudic. c. ſignificaſti, & c. diligenti de for. compet.* Et idem priuilegium habet vxor Clerici, si maritus incedat in habitu, & tonſura, & simul cohabitent Abb. *in c. nullus de for. compet.* Gaudet etiam hoc priuilegio familia Clericorum, & tota familia Epiſcopi, vt dicunt DD. *in d. c. nullus* Vnde iſtæ perſonæ debent conueniri coram Iudice Ecclesiaſtico. Sed si ſit aliquis Clericus, qui non gaudeat priuilegio fori, nec famuli eius gaudent, puta si Clericus non incederet in habitu, & tonſura &c. Hodie autem per Conc. *ſeſſ. 23. cap. 6. de reformat.* ſtatutum eſt, quòd Clericus primæ tonſuræ, aut in minoribus conſtitutus, non gaudeat priuilegio fori, nisi beneficium Ecclesiaſticum habeat, vel Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Ecclesiæ de mandato Epiſcopi in ſeruiat &c. Cognitio autem de his pertinet ad Iudicem Ecclesiaſticum. Hoc verò intelligitur de Clericis in minoribus ordinibus conſtitutis, quia exiſtentes in ſacris ordinibus, certum eſt quòd gaudent priuilegio fori.

§. In Iudicem tamen

Clerici autem poſſunt conſentire in Iudicem non ſuum, dummodò ſit Iudex Eccleſiaſticus, & ad hoc Diœceſani conſenſus accedat; Iuriſdictio enim Eccleſiaſtici poteſt prorogari in Eccleſiaſticum, non tamen Iuriſdictio Laici in Eccleſiaſticum. Clerici verò Romani nullo modo poſſunt conueniri in Curia Capitolina: ſed coram Vicario Vrbis, vel altero Iudice Eccleſiaſtico. Ita Iulius Secundus *conſt. 28. §. 3. lata 28. Martij* 1512.

Si verò Eccleſiaſticus vult conuenire Laicum, debet illum conuenire coram eius Iudice Laico, quia actor debet ſequi forum rei, vt ſupra dixi.

Iudex autem Laicus non poteſt Clericos condemnare, alias excommunicatur; quia Clerici à Iuriſdictione ſeculari ſunt exempti de Iure diuino *can. ſi Imperator 96. diſt. 4. & c. quamquam, de cenſib. in 6.*

§. Du-

§. *Dubitari*

Dicit text. quod ſi per Iudicem ſecularem capiatur aliquis delinquens, qui prætendatur Clericus, an ſit Clericus, nec ne, debet cognoſcere Eccleſia, vocato tamen Iudice laico. Si verò eſt notorium, vel fama publica conſtet talem eſſe iam factum Clericum, illicò ante vllam cognitiouem de Clericatu eſt reſtitueudus Curiæ Eccleſiaſticæ, quæ reſtitutio non debet fieri cum irriſione, vel poſita mitra in capite, vel tubis ſonantibus, vel cum populi frequentia, & ſimilibus opprobrijs. Epiſcopus tamen non tenetur ſtare proceſſui facto per Iudicem laicum. Iul. Clar. *in ſua prax*, §. *fin. quæſt.* 36. *num.* 48.

§. *Idem dicendum*

Incedens in habitu Clericali habetur pro Clerico; vnde ſi talis comprehendatur per laicum, eſt ſeruandum quod dictum eſt ſupra, donec contrarium conſtiterit: ſecus verò ſi antequam deprehenderetur prò laico communiter habebatur; tunc enim licet tempore deprehenſionis in habitu Clericali repertus fuerit, tamen non erit reſtituendus, antequàm ipſe de Clericali titulo fidem dederit. Habitus autem Clericalis debet eſſe veſtis talaris coloris honeſti, & formæ honeſtæ ſecundùm Regionum conſuetudinem. Et licet gloſſ. *in Clem.* 1. *de electione in verb. vel habitus*, dicat quòd non eſt determinatus in Iure tàlis habitus: tamen intelligitur ſolùm quoad formam, & colorem. Et Sixtus Quintus *conſt.* 92. §. 3. *lata* 9. *Ianuar.* 1589. ſtatuit quod Clerici habentes beneficium, ſi per annum non inceſſerint in habitu, & tonſura, poſsint eorum beneficia tanquam vacantia impetrari.

§. *Eſt & alia*

Alia eſt Iudiciorum diuiſio, nempe quòd quædam ſunt ordinaria, & quædam extraordinaria, ſeù delegata.

Ordinaria ſunt, quæ coram Iudice ordinario exercentur. Et Iudex ordinarius eſt, qui Iuriſdictionem habet iure proprio, vel ex lege, vel ex Principe, vel ex populo, & perpetuam, infixam Tribunali, prout eſt Epiſcopus, Archiepiſcopus, Archidiaconus &c.

Extraordinaria, ſiue delegata ſunt, quæ fiunt coram Iudice de-

delegato. Et Delegatus eſt, cui committitur aliqua cauſa cognoſcenda, decidenda, & exequenda, vel aliquid ex his, nempè cognoſcenda tantùm, non exequenda, vel è contra.

Eſt autem diſcrimen inter Delegatum à Principe, & Delegatum ab Ordinario, quia Delegatus Principis poteſt alteri ſubdelegare: ſed Delegatus ab Ordinario ſubdelegare non poteſt. *l. à Iudice C. de Iudic. c. paſtoralis, de offic. & poteſt. Iudic. delegat.* Delegatus verò à Principe regulariter non poteſt citare ad perſonaliter comparendum, niſi in commiſsione ſit data facultas. Item Delegatus à Principe non poteſt ſubdelegare, niſi perſonis exiſtentibus in dignitate.

§. *Item mandari*

Ad vnam cauſam poſſunt plures delegari; & tunc vnus ſine alio non poteſt procedere. Poteſt tamen vnus alteri ſubdelegare vices ſuas, ſi ſit Delegatus Principis. Poteſt etiam alter cognoſcere ſolus, ſi in Reſcripto ſit appoſita clauſula, quòd ſi omnes &c. ideſt quòd ſi omnes noluerint, vel non potuerint, ceteri exequantur. Quæ clauſula impedit, vt non poſsit cauſa ſubdelegari. Si verò vnus ex pluribus delegatis cum clauſula, vt omnes, vel duo, vel vnus &c. negotium incohauerit, alij non poſſunt ſe intromittere *c. cum plures de offic. delegat. in 6.* quod procedit etiam lite non conteſtata *c. gratum c. licet, & c. quamuis de offic. & pot. Iud. deleg.*

§. *Iuriſdictione*

Iuriſdictione perpetuata per vnum delegatum viuo delegante, intelligitur perpetuata quoad omnes. Et perpetuatur etiam per ſolam citationem *ad tex. in d. c. cum plures.*

Si verò eſt data certa forma iudicandi, vel cognoſcendi in delegatione, Delegatus non poteſt illam omittere, aliàs Iudicium eſt nullum *ad tex. in l. diligenter ff. mandat.*

Delegatus autem poteſt etiam ea, ſine quibus non poteſt exequi delegationem. Eſt tex. etiam de Iure ciuili *in l. 2. ff. de Iuriſd. omn. Iudic.* Et ideo Delegatus habet etiam facultatem modicè coercendi per modicam corporis afflictionem; Vnde etiam Delegatus Papæ poteſt excommunicare. Item poteſt rationabiles exceptiones admittere, quamuis hoc non fuerit in comiſſione expreſſum.

§. *Sed & ſi litteras*

Extenditur etiam aliquando reſcriptum, ſeù commiſſio de perſona ad perſonam, ſi tamen ſit eadem ratio, vt ſi impetraui reſcriptum contra Titium, in cauſa poſseſſionis alicuius rei, & ipſe rem illam alienauerit, intelligitur etiam nouus poſseſsor in commiſſione comprehenſus. Sic de loco ad locum fit extenſio quoties locus non eſt tutus, quia in alio loco poteſt Delegatus officium ſuum exequi.

§. *Soluitur*

Delegatio autem ſoluitur multis modis.

Primò reuocatione, dummodo res ſit integra, quod etiam de Iure Ciuili procedit *l. Iudicium ſoluitur ff. de Iudic.* vbi ſunt hæc verba, *Iudicium ſoluitur vetante eo, qui iudicare iuſſit.*

Secundò ſoluitur per mortem Delegantis re integra: vel Delegati, etiam vnius ex pluribus, quando in Reſcripto aliud non ſit expreſſum, vel delegatio non ſit facta ſub nomine Dignitatis v. g. Delegamus Archidiacono talis Eccleſiæ &c. quia tunc mortuo illo Archidiacono proſequitur ſucceſſor in Dignitate.

Tertio ſoluitur per impedimentum Delegati, tam Iuris, quàm facti, Iuris, vt ſi ſit effectus infamis. Facti, vt ſi inciderit in aliquem morbum. Quod intelligitur tam de ipſo Delegato à Papa, quàm de Subdelegato *c. ſciſcitatus de reſcript. & ibi latè explicat gloſſ.*

§. *Idem Iuris*

Iuriſdictio Delegati à Principe expirat facta exequutione: ſed Delegati ab Ordinario expirat prolata ſententia, quia Delegatus ab Ordinario non poteſt exequi ſententiam ſuam: ſed Delegatus à Principe poteſt, vt inquit *tex. hìc, & in c. ad aures, de appellat.*

Expirat etiam Iuriſdictio Delegati, ſi pronunciauerit ſe Iudicem incompetentem, nec poteſt ex conſenſu partium illam aſſumere *l. priuatorum C. de Iuriſd. omn. Iudic.* quia Iuriſdictio eſt de publico introducta: ſecus eſt in Ordinario, vt inquit gloſſ. *hìc, in verb. litigatorum*, in quem ex partium conſenſu poteſt prorogari, licet pronunciauerit ſe incompetentem.

Ex-

Expirat quoque ſi datus eſt terminus Subdelegato ad diffiniendum, & non diffiniuerit intra illum terminum; & terminus incipit currere à die receptionis litterarum, ſeù commiſſionis.

§. *Non abſimili*

Qui non eſt vſus litteris delegationis intra annum, & aduerſarius alias litteras impetrauerit, etiam non facta mentione de litteris prioribus, poterit conueniri etiam coram Iudice dato in poſterioribus litteris.

§. *Recuſatione*

Finitur etiam delegatio per accuſationem ſuſpecti, adeo vt proceſſus inde factus, & appellatio ſubſequuta ſint nulli. Suſpectus ſit Iudex, ſi dicatur conſanguineus, vel familiaris Partis, vel quid ſimile, Et ſi eſt delegatus ab Ordinario, cognoſcit de cauſa ſuſpicionis ipſe Ordinarius. Si verò eſt delegatus à Principe, & plures ſint dati, alter poteſt procedere in cauſa, ſi in reſcripto appoſita ſit clauſula, quod ſi ambo &c. ideſt quòd ſi ambo intereſſe non poſſunt, alter procedat; alias ſi iſta clauſula non ſit appoſita, & vnus ſit allegatus ſuſpectus, eliguntur arbitri, qui cognoſcunt an cauſa ſuſpicionis ſit legitima *c. ſuſpicionis, de offic. delegat.*

§. *Rurſus*

Alia eſt diuiſio Iudiciorum, quòd quædam ſunt ſummaria, & quædam ordinaria. Summaria ſunt in quibus prætermittitur ſolemnis ordo Iudiciarius, vt quando Princeps mandat alicui, vt cognoſcat de plano, ſine ſtrepitu, & figura Iudicij &c. Ordinaria ſunt, in quibus ſolemnis ordo Iudiciarius ſeruatur, dando libellum, conteſtando litem, probationes faciendo &c. de quibus omnibus infra dicetur.

De Procuratoribus.

TIT. II.

IVdicia ſolent exerceri non ſolùm per noſmetipſos, verùm etiam exercentur regulariter per Procuratores noſtros; & ideo de illis.

Procurator eſt is, qui aliena negotia mandato Domini, vel quaſi domini adminiſtrat; cuius appellatione venit etiam Syndicus: ſed propriè Syndicus dicitur procurator Vniuerſitatis. Mandatum autem procuræ factum ab Vniuerſitate præcedente ſono Campanæ, & à duabus partibus Vniuerſitatis ex tribus ſuſtinetur.

Duæ autem ſunt ſpecies Procuratorum; quia alij ſunt ad negotia, & alij ad lites. Ad negotia poſſunt eſſe maiores decem, & ſeptem annis. Ad lites non minores viginti quinque *c. qui generaliter, de Procurat. in 6.* licet Romæ ſufficiant maiores viginti ex Statuto Vrbis *lib.1.cap.* 47. ſed principalis in cauſa ſua, ſi ſint cauſæ beneficiales, aut aliæ cauſæ ſpirituales, aut dependentes à ſpiritualitate, vt ſunt cauſæ Iuriſpatronatus &c. poteſt comparere etiam in decimoquarto ætatis anno, etiam ſi ſit filiusfamilias, & ſine conſenſu patris; licet aliud ſit de Iure ciuili in cauſis temporalibus. Sed ſi ſit minor quatuordecim annis in cauſis ſpiritualibus. datur ei curator ab Epiſcopo, vel à Delegato Papæ, ſiue à Subdelegato. Quòd ſi hic impubes ſit maior infante, poterit conſtituere procuratorem, cum auctoritate Epiſcopi, vel eius Officialis.

§. *Conſtitui autem*

Regulariter autem quilibet poteſt conſtitui procurator, niſi ſpecialiter ſit prohibitus. Et ſi plures procuratores in ſolidum dati ſint, melior eſt conditio occupantis, nec poteſt alium ſubſtituere procurator ad lites, niſi lis ſit conteſtata, vel niſi in mandato procuræ ſit appoſita clauſula, & cum facultate ſubſtituendi &c. vel niſi quis ſit conſtitutus procurator in rem ſuam. Procurator in rem ſuam dicitur v.g. quando vendidi tibi hereditatem, & tibi ceſſi actiones &c. tunc diceris procurator in rem tuam. gloſſ. *in l. Plautius ff. eod. in verb. in rem ſuam.* Sic quando man-

do

do tibi, vt ſatisfacias tibi de tuo credito, quod mecum habes, diceris procurator in rem tuam. Caſtrenſ. *ib l.fin. num. 2. verſic. & ſic facta procuratio ff. de donation.* Procurator verò ad negotia poteſt quandocumque ſubſtituere *c. 1. §. fin. de procurat. in 6.* Si verò ſint plures procuratores ſubſtituti, ſed non in ſolidum, tunc vnus ſine alio agere non poterit.

§. *Sed ſiue vnus*

Procurator quicumque ſit, non debet excedere fines mandati *l. diligenter ff. mandat.* & propterea ſi fuerit procurator generaliter conſtitutus ad omnia, etiam, quæ requirunt ſpeciale mandatum, non tamen per hoc poterit attentare ea, quæ ſpeciale mandatum requirunt, niſi aliquod ex his fuerit in ipſo mandato expreſſum, vt ſi dicatur, conſtituo Titium procuratorem meum ad omnia, etiam quæ ſpeciale mandatum requirunt, vt ad tranſigendum &c. tunc enim cetera requirentia ſpeciale mandatum poterit tractare; ſi tamen in mandato expreſſum ſit, quòd contra electum poſſit procurator opponere crimina, & aliquod crimen in mandato exprimatur, non poterit maiora opponere.

§. *Sed & illud*

Procurator ad negotia poterit alium ſubſtituere, etiam quòd non ſit data facultas ſubſtituendi *c. 1. §. fin. de procurat. in 6.* ſecus in procuratore ad lites, vt ſupra diximus.

In criminalibus verò regulariter non poteſt intercedere procurator, vt quando eſt inferenda pœna corporalis ſed reus debet ſe conſtituere *l. penult. §. ad crimen ff. de public. iudic.*

§. *Sed nec omnes*

Monachi non poſſunt eſſe procuratores. Sic nec ceteri Regulares niſi de licentia Superioris, & quando eſt licentia poſſunt etiam eſſe procuratores extra res Monaſterij.

Clerici verò non poſſunt eſſe procuratores coram Iudicibus ſecularibus, quia nemo militans Deo debet ſe implicare negotijs ſecularibus *c. 1. ne Cleric. vel Monach.* & in Curia Romana inquit Veſtr. *in ſua prax.* Quod Clerici exercent procurationem ex tolerantia Papæ. Poſſunt tamen eſſe procuratores in proprijs cauſis

Eccleſiæ, vel miſerabilium perſonarum, vel pro coniunctis exiſtentibus in neceſſitate.

§. *Hi verò*

Excommunicati non poſſunt eſſe procuratores ad alium defendendum, nec poſſunt eſſe principales ad agendum. Sed ſi ſint rei, ad ſe defendendum poſſunt comparere in iudicio, quia defenſio propria nemini eſt deneganda *ad tex. in l. vt vim ff. de Iuſt. & Iur.* & excommunicatus non vt actor, ſed vt reus poteſt in iudicio comparere *c. intelleximus de Iudic.* Sic ſi Vniuerſitas ſit excommunicata, procurator non repellitur. Sed eſt diſtinguendum, aut illi per quos Vniuerſitas regitur, ſunt ſolùm excommunicati, & tunc poteſt procurator eſse in iudicio: aut tota Vniuerſitas eſt excommunicata (ſi daretur iſte caſus) & non poteſt; quia primo caſu Ius Vniuerſitatis remanet penes habiles. Secundo caſu cum nullus ſit habilis, Ius penes neminem reſidet. Notatur *in c. gratum, de poſtulat. Prælat.*

§. *Tam diù*

Poteſt autem procurator reuocari expreſsè, & tacitè. Sed si eſt effectus dominus litis expreſsè reuocari non poteſt, tacitè poteſt. Et procurator non cenſetur reuocatus, niſi reuocatio fuerit intimata *c. ex parte Decani, de reſcript.* Et tacitè dicitur reuocatus, cum dominus per ſeipſum cauſam tractat.

Procurator autem ſubſtitutus non poteſt reuocari à procuratore ſubſtituente, niſi vltra facultatem ſubſtituendi in mandato procuræ, ſit etiam data facultas reuocandi. Et eſt notandum, quòd geſta cum procuratore reuocato donec ignoratur reuocatio, tenent. Limitatur in matrimonio, in quo debet eſſe omnimoda libertas conſenſus.

§. *Non idem*

Habetur in hoc tex. quòd ſi abſens ſit conſtitutus procurator, & mandatum refutauerit, ſi mandator in eadem voluntate permaneat, poteſt nihilominus illud acceptare. & si procurator receperit inſtrumentum procurationis, tunc non poterit amplius refutare.

Expirat autem mandatum procuræ per mortem mandantis, licet

cet procurator effectus fuerit dominus inſtantiæ: ſecus si fuerit effectus dominus totius cauſæ, & litis. Et procurator conſtitutus ad omnes cauſas, & inſtantias, cum fideiuſſione Domini pro eo, cum clauſula de rato, dicitur effectus dominus litis, & cauſæ *l. ſi defunctus in princ. & latè ibi gloſſ. ff. de procurat.*

De Pactis, & Tranſactionibus.

TIT. III.

ALiquando Partes metu Iudiciorum veniunt ad pacta, & tranſactiones, ideo ponitur de his.

Pactum eſt plurium in idem conſenſus *l. 1. ff. de pact.* Et tranſaſactio eſt de re dubia, lite incerta, & non finita non gratuita pactio. *l. 1. ff. de tranſact.* Differt autem pactum in ſpecie à tranſactione, quia pactum eſt gratuitum: tranſactio verò non; nullo enim dato, vel remiſſo tranſactio non fit *l. tranſactio C. de tranſaction.*

Pacta, & promiſſiones quæcumque licet nuda ſint, de Iure Canonico ſunt ſeruanda *c. 1. & c. qualiter, de pact.* vbi Abb. & ceteri DD. Et licet eſſent contra bonos mores ciuiles, ſi iuramento firmata ſunt, ſeruari debent, vt ſi filia recepta dote à patre ſuo, renunciauerit medio iuramento hereditati paternæ *c. quamuis, de pact. in 6.* Secus autem ſi eſſent contra bonos mores naturales, ideſt quod ingererent peccatum, quia tunc licet iurata non ſunt obſeruanda *c. fin. de pact. & l. pacta, quæ contra C. de pact.*

Tranſactiones quoquè, quæ à Iure permittuntur, ſunt omninò ſeruandæ, quæ tantam obtinent firmitatem; vt iuribus omnibus, quæ quocumque ex capite partibus competere poterant, vires adimant. Non licet autem de Iure Canonico tranſigere ſuper re ſacra, vel ſpirituali, quæ ſit litigioſa, vt dicitur *hìc in fin.*

De Arbitris

TIT. IV.

CVm arbitria ſint inducta ad inſtar iudiciorum *l. 1. ff. de recept. arbitr.* ideò ponitur de illis.

Ar-

Arbitri ſunt qui nullam poteſtatem habentes conſenſu litigantium in Iudices eliguntur, ad cauſam cognoſcendam, & dirimendam.

Arbitrorum autem tres ſunt ſpecies. Quidam ſunt qui de partium conſenſu eliguntur, & dicuntur compromiſſarij, qui tenentur ſeruare ordinem iudiciorum *d. l.* 1. *ff. de recept. arbitr.* Quidam ſunt amicabiles compoſitores, qui debent litem dirimere de facto, ſine aliquo Iuris ordine; & illi dicuntur arbitratores. Quidam ſunt arbitri Iuris, qui eliguntur ex neceſſitate ſtatuti, vel legis, vt ſi Iudex allegetur ſuſpectus, debent eligi arbitri, qui cognoſcant de cauſa ſuſpicionis *l. fin.* C. *de Iudic.* Similiter quando Statutum diſponit, quòd cauſæ propinquorum cognoſcantur per arbitros, prout Romæ diſponit Statutum *lib.* 1. *cap.* 100. Abb. *in c. cum dilectus, de arbitr.* De arbitrijs autem, arbitris, & arbitratoribus latiſſimè agit Horat. Carpanus *ad Statutum Mediolani vol.* 1. *cap.* 115. *per tot.*

Poteſt autem compromitti tam in non Iudices, quàm in Iudices, & tam in Iudices delegatos, quàm ordinarios. Et in ſumma quilibet poteſt eſſe arbiter, niſi in Iure prohibeatur expreſsè. Prohibentur autem hæretici, & omnes excommunicati. Item Regulares. Item fœminæ, niſi ſit contraria conſuetudo. Item Laici non poſsunt eſse arbitri de re ſpirituali, niſi ſint Clericis adiuncti, vel nisi de Apoſtolica auctoritate ſit in illis compromiſſum. Non poſsunt autem compromitti cauſæ libertatis, matrimonij, filiationis, monachationis, conuerſionis, reſtitutionis in integrum, & cauſæ criminales, & quæ maiores Iudices exigunt.

Expirat autem arbitrium primo per ſententiam latam ab arbitris, quæ ſententia dicitur laudum. Secundò lapſu temporis conſtituti ad illam ferendam; quod tamen tempus partes de conſenſu poſsunt prorogare. Tertio per mortem tam arbitri, quia videtur electa induſtria perſonæ, quàm ipſorum compromittentium, nec tranſit ad heredes, quamuis si eſset lata ſententia ante mortem compromittentis, eius exequutio tranſeat ad heredes *l. quamuis, & l. diem proferre* §. 1. *ff. de recept. arbitr.*

De

De in Ius vocando

TIT. V.

IVdicia, & arbitria incipiunt à citatione, per quam quis vocatur in Ius, & ideo de illa eſt dicendum; In omni enim Iudicio citatio eſt neceſsaria, & ab ea incipere debet, cùm ſit de Iure diuino Clem. *paſtoralis, de re iudic.* Vnde Deus prius citauit Adam vocando illum, Adam vbi es? *Geneſ. cap.* 3. antequàm ferret contra ipſum ſententiam. Debent autem citari omnes, qui prætendunt lædi, aut intereſse habere in illo iudicio *l. de vnoquoquè ff. de re iudic.*

Citatio ſic definitur, eſt iuridica vocatio ad Iudicis conſpectum. Ex quatuor autem cauſis citatio non afficiat.

Primò ratione perſonæ, ex eo quia Iudex citans non ſit competens, vel ſi quis citetur inſtante ſpoliatore ante reſtitutionem.

Secundò ratione loci, vt ſi locus, ad quem citatus eſt quis, ſit incertus, aut locus non ſit tutus citato, aut non ſit de Territorio citantis, aut non ſit locus honeſtus &c.

Tertio ratione temporis, vt ſi ſit dies feſtus, quia diebus feſtis in honorem Dei omne iudicium silere debet *l. dies feſtos C. de fer.* ſed ſi ſint dies feriati ob cauſam hominum, poteſt à partibus renunciari, vt ſunt tempora vindemmiarum, & meſſium.

Quarto ex forma citationis, vt quia ſit incerta, & vaga, vel non ſit positus Iudex, coram quo, vel non ſit poſitum nomen Notarij &c.

Multiplex autem ſolet eſse citatio. Prima realis, quæ fit per capturam perſonæ. Secunda verbalis, quæ fit ſolo verbo, vel Iudicis, vel officialis. Tertia ſcripta, quæ fit per litteras citatorias. Quarta fit per edictum. Quinta per proclama. Sexta per campanam. Septima per tubam,

In quacumque verò citatione tria conſiderantur. Primo commiſſio Iudicis de citando, quæ ex ſtylo intelligitur. Secundo ipſius citationis exequutio, quæ fit per nuncium, & tribus modis ſolet fieri, vel perſonaliter, ideſt in manibus proprijs ipſius citati: vel in manibus domeſticorum: vel domi demiſsa copia. Tertio eiuſdem nuncij relatio; aliàs citatio non valet.

Tres autem termini dantur per citationem ad comparendum; & vltimus dicitur peremptorius, intra quem ſi citatus non com-

pareat, dicitur contumax, niſi allegauerit iuſtam cauſam non comparitionis. Citatio autem generalis ad totam cauſam ſufficit ad tollendam nullitatem ex defectu citationis, ſecundùm diſtinctionem, quam adhibet Caſtrenſ. *in l. ad peremptorium ſub num. 6. ff. de Iudic.* ſcillicet quod talis citatio generalis valet, quando aduerſarius eſt in partibus remotis; quo caſu ſufficit prima citatio exequuta perſonaliter ad totam cauſam, & deinde aliæ citationes poſsunt fieri per edictum, niſi conſtituat procuratorem, qui citari debeat &c. vt apud ipſum Caſtrenſ. videre poteritis.

De Dolo, & Contumacia, & in poſſeſſionem miſſione

TIT. VI.

CVm contigat citatum aliquando fieri inobedientem, non comparendo, quæ inobedientia dicitur contumacia, quæ puniri debet, ideo ponitur præſens tit.

Vt autem aliquis contumax dici poſſit, requiritur quòd ſit legitimè citatus tribus edictis, vel vno peremptorio pro omnibus *l. contumacia ff. de re indic.*

Contumacia verò duplex eſt, vera, & ficta. Vera eſt, cùm quis fuit perſonaliter citatus, vel citatio peruenit ad eius notitiam, & non vult comparere. Ficta eſt, cum quis fuit citatus domi dimiſsa copia, & dubium eſt an citatio peruenerit ad eius notitiam Card. *in Clem. 1. de dol. & contumac.*

Contumax autem variè punitur. Modò in litis damno: modò in multa, ideſt pecuniaria pœna: modò in ſequeſtratione rei: modò per excommunicationem. Ceterùm ſi reus eſt contumax, actor mittitur in poſseſſionem rerum contumacis ex primo decreto, & eo perſeuerante in contumacia, mittitur in poſſeſſionem ex ſecundo decreto. Pro qua re intelligenda

Sciendum eſt quod primum decretum dicitur prima miſſio, quæ fit per Iudicem in bonis contumacis eò ipſo quòd incipit eſse contumax, & fit pro menſura debiti, quando eſt actio perſonalis: quando verò ſit actio realis, mittitur in poſseſſionem creditor totius rei petitæ, & fit verus poſseſsor, non autem in perſonali, quia fit ſolùm detentor cauſa cuſtodiæ. Et vt competat hoc primum decretum ſufficit quòd ſummariè procedatur, vel iuramen-

tum

tum actoris interueniat, ex quo modicum reſultat præiudicium.

Secundum decretum eſt ſecunda miſſio, quæ fit per Iudicem contra reum perſeuerantem in contumacia, & transfert veram poſseſſionem, & dominium, ſi reus ſit dominus, aliàs dat conditionem vſucapiendi. Et de æquitate Iudex non debet procedere ad ſecundum decretum, niſi lapſo anno poſt primum decretum. *Marant. in ſuo ſpecul. in 6. part. in 2. memb. num.* 12.

§. *Si tamen*

Dicit textus quòd ſi actor non poſſit ob dolum, vel potentiam rei habere poſſeſſionem intra annum, vel etiam eam habitam amiſerit, ne contumax melioris conditionis ſit, quàm obediens; elapſo anno nihilominus actor veram poſſeſſionem conſequitur tam in actione perſonali, quàm reali ex ſecundo decreto tanquam ſi ex primo decreto poſſeſſionem habuiſſet, & retinuiſſet. Limitatur quando reus contumax dederit cautionem de ſtando Iuri, quia tunc, vel non mititur actor in poſſeſſionem, vel ipſi reo eſt reſtituenda. Item limitatur quòd lapſo anno non fiat reus verus poſſeſſor, ſi ſteterit per ipſum, quò minus poſſeſſionem habuerit, vel cautionem receperit.

§. *Quæri*

Contumax excommunicatus à Delegato Papæ, non poteſt abſolui ab Ordinario, ſed requiritur mandatum Papæ, vel quòd ſit alius Delegatus Papæ, excepto mortis articulo *c. paſtoralis §. præterea de offic. ordin.* Et ratio eſt, quia Ordinarius eſt inferior Delegato Papæ *c. ſanè il 2. de offic. Delegat.*

In Beneficialibus autem non fit prædicta miſſio in poſſeſſionem ex primo, vel ſecundo decreto, ne contingat aliquem per vitium beneficia obtinere, cum non poſſint beneficia Eccleſiaſtica ſine inſtitutione canonica obtineri *c. vnic. de eo, qui mitti. in poſſeſſ. in 6. & c. 1. de reg. iur. in 6.* Habent etiam Beneficialia aliam prærogatiuam, vt poſſit procedi contra contumacem, etiam lite non conteſtata, ſicut aliquando contingit in profanis, dum conſtat de bono Iure Rectoris: vel ſi ipſe Rector eſt contumax inſtante reo poteſt Iudex ad vlteriora procedere. & ſententiam ferre.

§. *Idem quoquè*

Actor non comparens intra terminum, ad quem reum citare feċit, condemnandus eſt in expenſis, nec ad aliam citationem admittitur, niſi præſtiterit cautionem idoneam de fideliter in poſterum comparendo, Pœnæ autem pro contumacibus aſſignatæ non omnes ſimul debent à Iudice irrogari, ſed aliqua tantùm pro eius arbitrio, & contumacia creſcente poteſt etiam ad alias procedere.

De Libelli conceptione, & oblatione

TIT. VII.

Dictum eſt de quibuſdam præparatorijs Iudiciorum. Verùm quia libellus etiam eſt de præparatorijs, ideo ſequitur præſens tit.

Libellus eſt breuis ſcriptura, claram actoris intentionem continens, & contra aduerſarium neceſſariò concludens. Ita dicitur in tex. Vnde libellus nihil concludens, nullus erit, vt notatur *in c. dudum il 2. de elect*, & debet eſſe clarus, quia ſi ſit obſcurus non valet *l. ſi ideo ff. de rei vendic.* Appellatur etiam libellus intentio, ſeù actio edita *l. edita C. de edend.* Et datur à parte Iudici, & à Iudice datur reo, vt inſtruatur, & deliberet, an velit cedere, vel contendere in termino octo dierum *auth. offeratur C. de lit. conteſt.*

Libellus autem debet continere Iudicem, coram quo petitur & notarium, per cuius acta petitur; inſtantem, qui petit, reum à quo petitur; quid petitur; qua de cauſa, petitur; qua actione, petitur; & quid intendat actor fieri. Gloſſ. *in §. Sancimus auth. de exhib. & introd. reis, in verb. libellum*. Si tamen ſit ineptus, debet reijci à Iudice. Sunt tamen aliqui caſus, in quibus non requiritur libellus, vt quando Iudicium eſt ſummarium, & ſine tela iudiciaria proceditur &c. *Clem. ſæpè, de verb. ſignif.*

De

De Exceptionibus, & Replicationibus

TIT. VIII.

CVm propoſito libello ſoleant dari exceptiones à reo, & iterum replicationes ab actore, ideò ponitur præſens tit.

Exceptio eſt actionis excluſio, ſicuti replicatio eſt excluſio exceptionis, duplicatio replicationis excluſio &c.

Exceptio autem duplex eſt, altera dilatoria, quæ iudicium differt: altera peremptoria, quæ in totum illud perimit.

Dilatoria duplex eſt, quædam eſt declinatoria, vt quòd Iudex non ſit competens, vel quòd Iudex ſit ſuſpectus &c. quæ debet proponi, & probari ante litem conteſtatam. Quædam ſimpliciter dilatoria, vt quòd non venerit dies, vel conditio &c.

Peremptòria item duplex eſt, alia litis finitæ, quæ impedit litis ingreſſum, vt eſt exceptio ſolutionis, tranſactionis, iurisiurandi, præſcriptionis, rei iudicatæ &c. alia non litis finitæ, quæ non impedit litis ingreſsum, ſed litis progreſsum, vt eſt exceptio doli, metus &c. & iſta poteſt quandocumque opponi.

Eſt etiam alia exceptio anomala, quæ dicitur excommunicationis, quæ quamuis ſit dilatoria, tamen poteſt opponi quandocunque. Et Innocent. *in c.* 1. *de ſent. excomm. in* 6. *& in c.* 1. *de except. in* 6. inquit, quòd reus, qui contra actorem excipit de excommunicatione, vt ipſum repellat ab agendo, debet excommunicationis ſpeciem, & nomen exprimere, & eam intra octo dies probare, aliàs Iudex procedet in cauſa, & illum in expenſis condemnabit. Quòd ſi iterum obijciatur, & probetur eadem, vel alia, actor repellitur: ſed quæ acta ſunt vſque ad illam diem valebunt, Hæc autem exceptio vltra duas vices non opponitur, niſi ex cauſa; & ſi opponatur poſt rem iudicatam, impedit quidem executionem ſententiæ, ſententia tamen valet; quòd ſi actor publicè & notoriè ſit excommunicatus, etiam reo hoc non opponente, Iudex debet eum ex officio ſuo repellere ab agendo.

§. *Sunt etiam*

Sunt etiam aliæ exceptiones, quæ dicuntur præiudiciales, ex eo quòd alteri cognitioni præiudicium afferant, ideſt quòd prius de-

debeat cognoſci de exceptione oppoſita, vt ſi mulier dicat aliquem eſse ſuum virum, & vir opponat de nullitate matrimonij. Item ſi excipiatur de ſpolio, debet prius cognoſci de eo, vt ſi peto abs te rem, & ita cauſam proprietatis intento; tu autem opponis quòd es ſpoliatus à me poſſeſſione illius rei, debet prius cognoſci de ſpolio, vt fiat reſtitutio, quia cauſa ſpolij eſt priuilegiata, vt ante omnia, & quoad omnia ſit facienda reſtitutio. Sed ſi dicatur ſpolium eſse factum ab alio, quàm ab actore, Iudex non debet ſuperſedere in cauſa.

§. *Sunt & alia*

Sunt aliæ exceptiones, quæ opponuntur contra tertios, & habent naturam peremptoriarum, vnde ante ſententiam ſunt proponendæ v.g. quòd teſtis ſit infamis, vel conſanguineus partis, vel quid ſimile, propter quod vel auferatur, vel diminuatur eius fides. Et poſsent etiam exceptiones opponi contra teſtes reprobatorios probatoriorum, de quibus infra *in §. illud etiam, de probationib.* Aduertendum autem eſt, quòd excipiens non dicitur per hoc confiteri intentionem agentis.

De Mutuis Petitionibus

TIT. IX.

Dictum eſt de exceptionibus, quæ opponuntur contra actores; verum quia contingit aliquando, vt reus aliquid conſequi debeat ab eodem actore, nec per modum exceptionis illum repellere poſſit, vnde mutua petitio eſt facienda, ideo ponitur præſens tit.

Itaque ſi reus nolit, vel non poſſit excipere, poterit actorem reconuenire ſuper eo, quod prætendit ab eodem actore. Et natura reconuentionis eſt, vt pari paſſu ambulet cum conuentione, & ſic fiat ſimultaneus proceſſus, & eo tempore, quo lis conteſtatur in vna, debet conteſtari in alia. Sic in datione termini probatorij, publicatione teſtium, concluſione in cauſa, & alijs actis: ſed prius fit actus ſuper conuentione, & poſtea ſuper reconuentione; quod ſi actor nolit reſpondere in reconuentione, patitur pœnam, quòd non proceditur in cauſa. Item debet Iudex eadem ſententia terminare cauſam conuentionis, & cauſam reconuentionis

con-

conuentionis, & vtramque cauſam inſerere in vnica ſententia. Item natura reconuentionis eſt, vt proponatur in principio litis ante conteſtationem in cauſa conuentionis, & tunc dicitur vera reconuentio: poteſt tamen fieri etiam poſt litem conteſtatam, dummodò fiat, prius, quam iuretur de calumnia. Marant. *de ordin. Iudicior. in 6. diſtinct. principal. n.5. & 6.*

§. *Nec ſolùm*

Reconuentio poteſt fieri coram quocumque Iudice, niſi in ſpecie reperiatur prohibita, & tam coram Ordinario, quam coram Delegato. Limitatur in arbitro electo à partibus voluntariè, ſecus neceſſariò, vt eſt arbiter Iuris electus ad cognoſcendum de cauſa ſuſpicionis Iudicis. Item limitatur in Iudice appellationis, coram quo reconuentio fieri non poteſt, cum in prima inſtantia de ea actum non ſit, Ampliatur tamen vt poſſit reconuentio fieri coram Iudicibus particularibus, veluti coram Iudicibus Mercatorum &c. Debet autem eſſe æqualis ratio actoris, & rei reconuenientis; Vnde ſi tù impetraſti committi cauſam appellatione remota, etiam in cauſa reconuentionis debet intelligi appellatione remota.

§. *Interdum*

Reus non poteſt reconuenire actorem de cauſa ſpirituali coram Iudice laico, quia laicus eſt omnino incapax talis Iuriſdictionis *c. quanto, de Iudic.*

§. *Idem Iuris eſt*

Excommunicatus licet non repellatur ab excipiendo, quod eſt ſe defendere, repellitur tamen à reconueniendo, quod non eſt ſe defendere, ſed impugnare, & ita potius agere. Limitatur hoc, quando excommunicato aliquid debetur ex eodem contractu, de quo conuenitur, vt ſi ab eo petatur res vendita, poterit ipſe petere pretium.

§. *Illis quoquè*

In cauſa criminali non datur reconuentio, neque in cauſa de-

depoſiti, quia in iſta nec datur exceptio compenſationis, vt *in §. in bona fidei Inſt. de actionib.*

De Reſtitutione ſpoliatorum

TIT. X.

QVoniam impeditur aliquando quis reconueniri, vt ſi dicat ſe ſpoliatum; quo caſu ſuper ſpolio eſt videndum, vt fiat reſtitutio, ideo ponitur præſens tit.

Spoliatus dicitur quilibet, qui priuatus eſt aliqua re, vel aliquo iure; & conuentus in cauſa ſpolij, non poteſt reconuenire ſpoliatum. Quod verum eſt, ſi ipſe fuit ſpoliator: ſecus ſi tertius eſt poſſeſſor, quia poteſt reconueniri per eum: quando verò ipſe fuit ſpoliator, & reus agat ex remedio *can. redintegranda 3. quæſt. 1.* tunc non tenetur reſpondere actori, antequam actor reſtituat; nam iſta remedia contra tertios non ſunt ita priuilegiata, ſicut contra ipſos ſpoliatores. Abb. *in c. cum dilectus, de ordin. cognition.*

Non datur autem reconuentio de poſſeſſione ad titulum, vt ſi ago contra te, qui me ſpoliaſti per vim à poſſeſſione beneficij, tu non potes me reconuenire, dicendo, quòd non ſim canonicè inſtitutus, & ita quod non habeo ius in beneficio.

§. *Sed & ſi*

Spoliatus eſt reſtituendus ante omnia, & quoad omnia, etiam quoad fructus, qui percipi potuerunt. Nec tenetur ſpoliatus reſpondere, antequam ſit reſtitutus. Quod procedit quando eſt quæſtio ſuper eadem re: ſecus ſi ſuper diuerſa.

Sciendum autem eſt quod in hac materia ſpolij plenisſimum, & magis generale remedium eſt *ex d. can. redintegranda 3. quæſt. 1.* Quod concurrit cum omnibus alijs remedijs. Et datur cauthela pro libellante, vt in fine libelli deducat *d. can. redintegranda*, quæ eſt actio perſonalis, & datur non ſolùm pro rebus Clericorum, & Eccleſiæ, ſed etiam Laicorum ſiuè mobilibus, ſiue immobilibus. Eſt communis opinio, & ſeruatur in praxi. Et competit generaliter ei, qui ſine iuſta cauſa cecidit à poſſesſione, quæ peruenit ad alium, ſiue bona ſiue mala fide, ſiue ſcienter ſiue ignoranter, ſiue cum vitio ſiue ſine, ſiue cum titulo ſiue ſine illo: & datur etiam contra titulo poſſidentem, & competit etiam malæ

fidei

fidei poſſeſſori. Abb. *in c. cum ad ſedem, hoc eod. tit.*

In cauſa autem ſpolij non ſufficit eſſe latam ſententiam, vt ſpoliatus reſtituatur, ſed debet eſſe ſequuta executio, & reſtituta naturalis poſſeſſio rei. Ex quo colligitur quòd poteſt ſpoliatus retinere ciuilem poſseſsionem; nam qui ſpoliatus eſt non ſe habens pro ſpoliato, non amittit ciuilem poſseſsionem, quæ conſiſtit in animo retinendi. Et ſic poteſt quis eodem tempore intentare remedium poſseſsorium retinendæ reſpectu ciuilis poſseſsionis, quam retinet, & remedium recuperandæ reſpectu poſseſſionis naturalis amiſsæ.

§. *Quod ſi*

Quod ſi quis eſt conuentus in cauſa ciuili, & contra actorem intentet actionem ſpolij, & ita ipſum reconueniat, non retardatur proceſsus in cauſa ciuili: ſed in vtraque proceditur, & vnica ſententia ambæ cauſæ terminantur. At ſi opponatur de ſpolio ſolùm per modum exceptionis, non tenetur reus reſpondere actori, non tamen datur ſententia reſtitutionis, & ita in effectu non reſtituitur, quia exceptio non eſt petitio, & ſententia ſequitur petitionem, non exceptionem.

§. *Spoliatus*

Iudex etiam dicitur ſpoliare. Primo ſi ſit incompetens. Secundo ſi non ſeruat Iuris ordinem. Tertio ſi nulliter pronunciauit, & ſpoliatus tanquam à priuato debet ante omnia, & quoad omnia reſtitui.

Etiam ſpoliaſſe dicitur qui mandauit ſpoliare *l. 1. §. deieciſſe ff. de vi, & vi armat.* non tamen propriè, ſed interpretatiuè, vt gloſs. *ibi in verb. videor.* Sic etiam qui ſpolium nomine ſuo factum ratum habet, quia ratihabitio æquiparatur mandato *c. ratihabitionem, de reg. iur. in 6.* Et ad effectum reſtitutionis dicitur etiam ſpoliator qui ſpoliatori ſucceſſit in vitium, ideſt ſi ſcienter rem detineat, ſciens iniuſtè factum eſse ſpolium.

§. *Illud quæſitum*

Qui renunciat beneficium poſt ſpolium, poteſt non obſtante renunciatione agere de ſpolio, & reſtitutionem petere quia creditur quod inuitus renunciauerit: ſecus ſi renunciauerit ante ſpoliu m.

§. *Sunt & alij*

Sunt aliqui caſus, in quibus non habet locum regula, quòd ſpoliatus debet ante omnia, & quoad omnia reſtitui.

Primus caſus eſt, ſi contra excipientem de ſpolio opponatur etiam de ſpolio *c. fin. de ord. cognit.*

Secundus, ſi ſpoliatus eodem tempore conſenſerit agi de proprietate; vnde datur cauthela, vt proteſtetur ſe non conſentire, vt per gloſs. *hic in verb. conſenſerit*.

Tertius ſi ante remedium reſtitutorium ſuccubuerit ſpoliatus in petitorio.

Quartus ſi conſtiterit quod ſpoliatus non posſit posſidere id, de quo dicit ſe ſpoliatum, vt ſi laicus ſit, qui dicat ſe ſpoliatum poſseſsione exigendi decimas, vel poſſeſſione beneficij; vel ſi ſacerdos ſit qui dicat ſe ſpoliatum vxore &c. ita vt conſtet opponentes non eſse capaces talium rerum.

Quintus ſi timeretur periculum animæ, vel vitæ poſt reſtitutionem *c. litteras hoc eod. tit.* vel aliquod graue ſcandalum ſequeretur. Videte gloſs. *hic in verb. immineret & in verb. ſcandalum*. Et latè de his caſibus agit Anton. de Matthæis *in l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. poſſeſſ.*

De Litis Conteſtatione

TIT. XI.

Viſum eſt de prima parte Iudicij, quæ eſt præparatoria incipiens à prima citatione, vſque ad litis conteſtationem. Modò eſt videndum de ſecunda parte, quæ diſcuſſoria appellatur, & incipit ab ipſa litis conteſtatione vſque ad concluſionem in cauſa, vt ſupra diximus *in princ. primi tit. huius tertij lib.*

Litis conteſtatio fit in cauſis ordinarijs, quia in cauſis ſummarijs, & exequutiuis non eſt neceſſaria. Sic autem definitur. Eſt principalis negotij apud competentem Iudicem facta narratio, & ad eam ſequuta reſponſio. *c. 1. hoc eod. tit.* Quæ reſponſio fit vel per negationem, vel per confeſsionem, vel per verbum dubium.

Per negationem fit, quando reus negat ſimpliciter narrata eſſe peracta Bart. *in l. 1. C. eod. tit.* Et communis praxis eſt, vt reus

dicat

dicat, poſita vt ponuntur, & narrata prout narrantur non fuiſſe, nec eſſe vera, ſaluis Iuribus, & defenſionibus ſuo loco, & tempore producendis, quæ verba ſunt magni effectus, quia tunc reus non incidit in pœnam negantium, *de qua in l. fin. ff. de rei vendicat.*

Per confeſſionem fit, quando reus fatetur id, quod actor petit, vt per Felin. *in d. c. 1. eod. tit. num. 5.*

Per verbum dubium fit, quando reſpondetur per verbum dubitatiuum credulitatis, vt non credo narrata eſſe vera. Fit etiam per verbum ignoro, vt quando fit per Procuratores, vel per heredes, vel per alios, qui habent iuſtam cauſam ignorandi *l. quamquam C. ad S. C. Velleian.* Bald. *in l. ſi debitor ff. de petit. hered.* Et cauendum eſt quòd reſponſio facta ab Aduocato, niſi fuerit ſtatim reuocata, inducit conteſtationem litis, vt per gloſſ. *hic in verb. Aduocati, & in verb. niſi ſtatim.*

Sequuta autem litis conteſtatione reus ſubijcitur Iudici, & obligatur actori de proſequendo Iudicium, non poſſunt amplius opponi exceptiones dilatoriæ, interrumpitur præſcriptio, actio perpetuatur, conſtituitur reus in mala fide, & tenetur ad fructus poſtea perceptos *l. moræ C. de rei vendic.* & poteſt procedi ad ſententiam diffinitiuam, cum ſine litis conteſtatione non poſſit *§. ſuſcepto auth. de exhib. & introd. reis.*

§. *Admonendi*

Aliquando lite non conteſtata, quando agitur ciuiliter, poſſunt produci, recipi, & examinari teſtes ad perpetuam rei memoriam, quando timetur de eorum morte, vel longa abſentia; ſed pars citari debet, aliàs iſti teſtes nil probant Bart. *in l. maritus num. 3. ff. de quæſtionibus* Abb. *in c. 1. num. 14. de teſtib.* & debent eſſe examinati coram Iudice competente, aliàs non probant; faciunt tamen magnum adminiculum Innocent. *in c. Albericus num. 6.* & Felin. *ibid. num. 1. de teſtib.* & Bart. *in l. admonendi num. 41. ff. de iur. iurand.* Abb. quoque *in c. cum olim num. 6. de priuil.*

§. *Sunt & alij*

Plures autem ſunt caſus, in quibus non requiritur litis conteſtatio, & regulariter vbi non exigitur libellus. Hos caſus ponit Marian. Soccin. *in c. quoniam, frequenter, vt lit. non conteſt.*

De Iuramento Calumniæ

TIT. XII.

CVm in Iudicijs debeat abeſſe calumnia, propterea litigantes debent iurare de calumnia vitanda. Et iuratur de calumnia etiam à procuratore, tam in animam conſtituentis, quàm in animam ſuam *c. cùm cauſam hoc eod. tit.* & hoc iuramentum eſt adeò de ſubſtantia iudicij, vt non poſsit per partes ex pacto remitti, & ſi remitteretur, proceſſus eſſet ipſo iure nullus. Tacitè verò omitti poteſt, & valet proceſſus, vt quando non petatur. Hoc autem iuramentum poteſt exigi à Iudice in quacumque parte iudicij, etiam poſt concluſionem in cauſa. Bald. *in l. 1. C. de iur. iur. propt. calumn. dand.* & etiam in cauſa appellationis.

Plura autem continet hoc iuramentum. Primò quod actor credit ſe iuſtè petere. Secundò quod reſpondebit veritatem ſuper omnibus, de quibus interrogabitur. Tertio quòd non vtetur probatione falſa. Quartò quòd non corrumpet Iudicem, nec Tabellionem. Quintò quòd calumnioſam dilationem non petet. Quæ omnia habent locum etiam in reo, quando de calumnia iurat. Late de hoc iuramento Marant. *part. 6. princip. in 2. part. iudic. in primo act. de iuram. per totum.*

Vt lite pendente nihil innouetur

TIT. XIII.

QVoniam interdum contingit, vt pendente lite aliquid innouetur in præiudicium partis, ideo emanauit regula, vt lite pendente nihil innouetur. Et lis pendere dicitur hoc reſpectu non ſolùm cum lis fuerit conteſtata: ſed etiam ſi ſola citatio à Iudice competenti proceſſerit, & ad notitiam partis citatæ peruenerit.

Aliquando verò fit innouatio lite pendente, vt ſi reus fructus poſſeſſionis diſſipet, poſſunt fructus ſequeſtrari *c. fin. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.* Et quamuis talia lite pendente facta dicantur attentata, quæ illicò ſunt reuocanda: tamen matrimonium factum lite pendente, quod ſit validum, reuocari non debet,

ſed

ſed ſolùm contrahenti iniungenda eſt pœnitentia. Pro hac materia videte Robert. Lancellot. *in ſuo tract. de Attentatis*.

De Probationibus

TIT. XIV.

CОnteſtata lite, & iurato de calumnia deueniendum eſt ad probationes, ideo ponitur præſens tit.

Probatio eſt idoneis argumentis, & legitimis medijs veritatis facta demonſtratio, quæ media plura ſunt. Primo enim probatio fieri poteſt confeſſione, ſeù depoſitione partium. Secundò depoſitione teſtium. Tertiò Inſtrumentorum productione. Quarto Iuramento. Quintò Inſpectione Iudicis. Sexto notorietate rei. Septimo vehementi ſuſpicione. Octauo fama, atque alijs adminiculis.

§. *Partium*

Primò Confeſsione partium, quia nulla eſt maior probatio, quàm proprij oris confeſsio *l. 1. ff. de confeſſ.* Vnde ad eliciendam confeſsionem olim fiebant interrogatoriæ actiones à Iudice, *vt tot. tit. ff. de interrog. actionib.* hodie verò committuntur notarijs, & dicuntur poſitiones, & articuli.

Poſitiones ſunt breues concluſiones facti, in quibus aſsertiuè aliquid ponitur, dicendo verum ita eſse.

Articuli verò fiunt per verba, probare intendit, vnde non aſſerit ita eſse veritatem, ſed ſi negabitur probabit per teſtes, vel alio modo. Gloſs. *hìc in verb. poſitionibus*. & Iudex admittit articulos ſaluo Iure &c. ideſt ſaluo iure impertinentium, & non admittendorum: vel ſi, & in quantum &c. ideſt ſi, & in quantum ſint admittendi. Quæ clauſula importat, quòd ſi articuli non debeant admitti, habeantur pro non admiſsis; quo caſu reijciuntur etiam depoſitiones teſtium ſuper illis. Marant. *in 6. part. in 4. act. de poſition. ſeù articul. product.* & ſolet reſponderi articulis affirmatiuè, vel negatiuè, vt per verbum credo, vel non credo. Sed practicè reſpondetur, non credo prout ponitur, neque ad effectum, ad quem ponitur. Et recuſans reſpondere, vel ſe abſentans ne reſpondeat, habetur pro confeſſo: ſecus ſi ante productionem articulorum quis iam erat contumax.

§. Red-

§. Redditis

Dicit textus quod legitima confeſſione per poſitiones habita à reo, deueniendum eſt ad ſententiam. Confeſsio autem legitima eſt confeſſio iudicialis, quæ fit in Iudicio, ideſt coram Iudice, nec Notarius poteſt recipiendo illam facere iudicialem, niſi Iudex comiſerit notario receptionem. Iſta autem confeſsio iudicialis habet vim ſententiæ, nec requiritur alia ſententia; & quamuis poſt concluſionem in cauſa non admittatur aliqua probatio, admittitur tamen confeſsio. Confeſsio autem dubia ſemper interpretatur ad fauorem confitentis. Confeſſio verò iudicialis erronea, ſtatim reuocata, non præiudicat. Et confeſſio extraiudicialis facta parte præſente coram duobus teſtibus per eos probata, facit plenam probationem, etiam ſi non ſit acceptatà. Marant. *vbi ſupr. in quinto actu, de confeſſione per totum*

§. Non tamen

Si non potuit haberi confeſſio ex reo, tunc deueniendum eſt ad alias probationes; eſt enim regula quod actor tenetur probare ſuam intentionem, & reus ſuam exceptionem *l. actor, & gloſſ. in l. fruſtra C. de probation.* non tamen reus tenetur edere inſtrumenta, & rationes ſuas actori, quia arma non ſunt ſumenda de domo rei *l. nimis graue C. de teſtib.* niſi eſſent inſtrumenta communia de mandato actoris confecta. De æquitate tamen Canonica reus tenetur edere ad veritatem indagandam.

Cauendum autem eſt, quòd quando probatio eſt facienda per teſtes, debent teſtes iurare, quia teſti non iurato non creditur, nec videtur Papam poſse facere, quòd credatur teſti non iurato ad notato per Felin. *in c. conſtitutus verſic. & pro hac limitatione, de reſcript.* quamuis ſit Religioſus. Et notarius non poteſt recipere iuramenta teſtium, niſi de commiſsione Iudicis. Conſuetudo tamen quòd iuramentum teſtium recipiatur per notarium, non eſt contra Ius: ſicut in ſimili, licet citatio fieri non poſſit à nuncio, ſine Iudicis mandato, tamen ex conſuetudine tale mandatum præſumitur, & citatio valet Vant. *de nullitatib. ex defect. citation. num.* 41. vbi autem numerus teſtium non eſt deſignatus, duo ſufficiunt *l. vbi numerus ff. de teſtib.*

§. Quod

§. *Quod ſi*

Teſtes poſsunt compelli ad teſtificandum, & iurandum ſub pluribus pœnis, & etiam ſub pœna excommunicationis. Nec valet iuramentum de non deponendo, cùm tale iuramentum ſit illicitum, ex eo quia occultat veritatem, maximè quando veritas aliundè haberi non poteſt.

Iudex autem debet interrogare teſtes, & interrogando inſpicere qua conſtantia deponant, quo vultu, & diligenter interrogare de ſingulis circumſtantijs, de cauſa ſcientiæ, de viſu, de auditu, & ſimilibus.

Præterea eſt aduertendum, quod teſtes conſiderandi ſunt conditione, natura, & vita.

Conditione, vt ſi ſeruus ſit, quia ſerui metu Dominorum poſsunt aliquando veritatem ſupprimere *can. ſi teſtes §. ſerui nequè 4. quæſt. 3.*

Natura, vt ſunt fœminæ; non enim fœminæ ſemper admittuntur ad teſtificandum, vt in teſtamentis, & in cauſis criminalibus regulariter *§. teſtes Inſt. de teſtam. can. mulierem* 33. *quæſt.* 5. Quando autem fœminæ admittuntur, ſi ſint honeſtæ, non debent vocari in Iudicium: ſed debet mitti Tabellio, vt recipiat examen earum in propria domo expenſis ipſius producentis. Minus autem creditur fœminæ, quàm maſculo, cùm fœmina mutabilis ſemper ſit, vt inquit Gloſs. *hìc in §. teſtes in verb. fœmina,*

Vita, quia teſtes malæ vitæ, & mali nominis carent fide.

§. *In ſumma*

Clerici prò Eccleſia poſsunt eſse teſtes, & ſinguli de Vniuerſitate pro Vniuerſitate, niſi adſit aliqua cauſa rationabilis in contrarium. Item Monachi cum licentia Abbatis poſsunt eſse teſtes ſed quid ſi ſine licentia Abbatis teſtificentur, an teneant eorum teſtimonia? Et dicitur quòd ſic. Gloſs. & DD. *in auth. de Monach.* Cherubin. *ad conſt.* 10. *Eugenij Quarti*.

§. *Chriſtianorum*

Chriſtiani poſsunt eſse teſtes contra Infideles: ſed Infideles contra Chriſtianos non poſsunt, præter quàm in crimine hæreſis. Idem Cherubin. *ad conſtit.* 70. *Gregorij Decimitertij*. Item ex-

excommunicatus, & criminoſus perſeuerans in crimine non poteſt eſse teſtis. Emendatus verò in cauſa ciuili poteſt, niſi factus fuerit infamis ex illo crimine. Sic nec homo vilis, nec domeſticus, nec ſubditus, qui viuit expenſis eius, pro quo teſtificatur, admittitur. Sicut nec procurator, nec Aduocatus, licet talis eſſe deſierit. Sic etiam qui habet ſimilem cauſam cum producente, quia eſt affectio ad illam. Inimicus etiam repellitur, nec attenditur an cauſa inimicitiæ ſit iuſta, vel iniuſta. Et plurima circa iſta habentur per Bart. *in ſuo tract. de teſtib.* apud quem videre poteritis.

§. *Dabunt*

Tres dilationes dari poſsunt tam in Eccleſiaſticis, quàm in Ciuilibus cauſis ad exhibendos teſtes, & ex cauſa poteſt etiam dari quarta, ſi tamen non fuerint didicita, ideſt publicata teſtificata, & partes non renunciauerint productioni teſtium; Publicatis enim dictis teſtium, non eſt amplius locus producendi alios teſtes ſuper eiſdem articulis, nec in prima, nec in ſecunda inſtantia, quia timetur ſubornatio: ſecus ſuper de nouo emergentibus.

Contra teſtes autem poſt publicationem non poteſt opponi, niſi volens opponere ſit proteſtatus, quod poſtea habuerit notitiam eius, quod vult opponere. Item poteſt etiam opponere, quando ab initio eſt proteſtatus ſe velle opponere quandocunque etiam poſt publicationem.

Sciendum autem eſt, quod quando producuntur inſtrumenta, vel alia iura, & pars citatur ad dicendum contra Iura producta, praxis eſt quod pars citata in termino citationis compareat, & dicat generalia contra ſaluo iure &c. ideſt ſaluo iure opponendi exceptiones particulares ſuo loco, & tempore. Quæ verba licet non habeant vim oppoſitionis exceptionum contra talia Iura producta, quia exceptiones ſunt opponendæ in ſpecie: tamen operantur, vt ſemper remaneat ius ſaluum ad excipiendum quocumque tempore etiam poſt terminum citationis; quod aliter fieri non poſset.

§. *Illud etiam*

Dicitur in textu, quod poteſt opponi non ſolùm contra teſtes probatorios: verùm etiam contra reprobatorios probatoriorum. Non autem opponi poteſt, vt per teſtes reprobentur reprobatorij, &

& ita non licet examinare teſtes reprobatorios reprobatoriorum, ne detur proceſſus in infinitum.

Iudex verò poteſt repetere, & interrogare teſtes vſque ad ſententiam, quando dictum teſtis ſit obſcurum, vel male intellectum. Teſtis autem poteſt incontinenti ſe corrigere, nec per hoc adimitur illi fides. Super omiſſis verò poteſt Iudex teſtes repetere.

§. *At ſi partes*

Si actor non poteſt per teſtes idoneos ſuam intenrionem probare, tunc recurrendum eſt ad probationem, quæ fit per Inſtrumenta, ſi illa habeat.

Inſtrumentum ſumitur primo latiſſimè pro quocunque medio, quo vtimur ad aliquid agendum, vt *tot. tit. ff. de fund. inſtruct. inſtrumentoque legat.* Secundo ſumitur latè pro omni eo, quod poteſt inſtruere Iudicem in cauſa *vt tot. tit. ff. de fid. inſtrum.* Tertio ſumitur ſtrictè, & ſignificat ſcripturam factam ad probationem alicuius negotij, quod poteſt eſſe vel publicum, vel priuatum. Sed cum ſimpliciter dicitur Inſtrumentum, venit quod publicum eſt, cum inſtrumentum priuatum proprie, & ſpecificè dicatur apoca, ſeù chirographum.

Inſtrumenta autem publica faciunt plenam fidem, etiam mortuis teſtibus. Sed debent eſſe producta, & verbum producere ſignificat facere de actis, & facere de actis eſt talia facere, vt Iudex poſſit ſuper his ferre ſententiam, ſcilicet quando inſtrumenta ſunt admiſſa per Iudicem, citata parte. Exempla quoque ſolemniter tranſumptata per publicam perſonam faciunt fidem. Ita etiam redacta in publicam formam poſt mortem Notarij.

Inſtrumenta verò publica ſunt, quæ fiunt in forma probanti, ideſt per manum publicæ perſonæ. nempe Notarij, cum inuocatione diuini nominis, appoſitione anni Domini, indictione, menſe, die, anno Principis regnantis, loco, teſtibus ſubſcriptione, & ſigno eiuſdem Notarij. Gloſſ. *in l. generali C. de tabellion. lib.* 11. Couaruu. *pract. quæſt. cap.* 21.

Inſtrumentum verò priuatum, ſine iſtis ſolemnitatibus, non facit fidem, niſi fuerit probatum. Et probatur, vel per teſtes, qui fuerint præſentes ipſi actui, vel per confeſſionem partis. Aut debet eſſe recognitum; quæ recognitio fit, vel per partem confitentem eſſe manum ſuam: vel per tertium, qui ſcripſerit,

aſſerentem ſe mandato obligati ſcripſiſſe: vel fuerit recognitum per teſtes, qui ſe ſubſcripſerint, vel recognouerint ſcripturam obligati.

§. *Quòd ſi nec*

Si non eſt plenè probatum per teſtes omni exceptione maiores, vel per ſcripturas, ſed ſolùm pluſquàm ſemiplenè probatum eſt, tunc deueniendum eſt ad iuramentum ſuppletorium, quia Iudex debet deferre actori iuramentum in ſupplementum plenæ probationis, quòd ita veritas ſit, & ita poterit ferre ſententiam. Poteſt etiam deferri iuramentum purgatorium reo, quando fuit contra ipſum ab actore minuſquam ſemiplenè probatum, vt per hoc iuramentum purget leuem illam probationem contra ſe factam, & ita poſſit abſolui. Quod iuramentum defertur etiam in criminalibus. De Iure autem Canonico debet fieri purgatio Canonica per teſtes compurgatores, *vt in c. Moniales, & tot. tit. de purgat. Canonic.* Hoc autem iuramentum, quod eſt ſuppletorium, vel purgatorium eſt neceſſarium, & non poteſt recuſari, niſi quando pars plenè probauiſſet ſuam intentionem.

Aliud eſt iuramentum voluntarium, quod defertur à parte alteri parti, approbante tamen Iudice, quod debet vel recipi, vel referri deferenti *l. manifeſtè ff. de iur. iurand.* niſi ſit iuſta cauſa, vt quia is, cui defertur, dicat ſe non informatum de negotio &c.

§. *Iudicis*

Alia eſt ſpecies probationis, quæ fit per Iudicis inſpectionem, vt quando agitur de terminandis confinibus, Iudex accedit ad locum differentiæ: vel quando agitur de probanda ætate, inſpicit corpus: vel quid ſimile. Aliquando etiam mittit peritos, vt quando mittit obſtetrices ad cognoſcendum an aliqua ſit virgo, an mulier ſit prægnans &c.

§. *Sed & ſi*

Alia eſt ſpecies probationis per notorietatem. Et notorium dicitur, quando aliquid pluribus notum eſt, nec eſt neceſſe quòd ſit omnium ſcientia *ad tex. in can. manifeſta 2. queſt. 1. & ibi gloſſ. cod. v erb. manifeſ.* Dicitur etiam notorium Iuris, vt cum quis con-

feſſus

feſſus eſt, vel conſtat de eius condemnatione. Dicitur etiam notorium præſumptionis, vt quando quis talis reputatur communiter v.g. pro filio alicuius *ad tex. in l. quia ſemper ff. de in ius vocand.*

§. *Ad notorium*

Alia eſt ſpecies probationis per vehementem ſuſpicionem, ſeù præſumptionem, vt ſi duo maſculus, & fœmina ſint depræhenſi in eodem lecto ſoli, & nudi, eſt præſumptio Iuris, & de Iure quòd fuerit ſequuta copula, *vt in c. litteris, de præſumptionib.*

§. *Fama*

Alia demum eſt ſpecies probationis per famam. Sed iſta non ſufficit ad conuincendum: præſtat tamen adminiculum alijs probationibus. Et de iure Canonico debent illi, contra quos fama eſt, ſe purgare, *vt in d. c. moniales de purgat. Canonic.* quæ purgatio fit per teſtes compurgatores, qui deponant de bona exiſtimatione, & bonis moribus illius diffamati, vt ſupra diximus.

De Sententijs, & Re iudicata

TIT. XV.

FActis probationibus, & concluſione in cauſa, deueniendum eſt ad ſententiam, quæ eſt tertia, & vltima pars Iudicij, à qua ſi non fuerit appellatum, fit tranſitus in rem iudicatam, & ideo ponitur præſens titulus.

Sententia dicitur à ſentiendo, ex eo quia Iudex iudicat ſecundùm id quod ſentit. Duplex autem eſt ſententia, diffinitiua, & interlocutoria. Diffinitiua eſt controuerſiæ propoſitæ ritè facta diffinitio, per quam totum negotium terminatur. Interlocutoria eſt, quæ aliquod incidens à principio litis vſque ad concluſionem in cauſa terminat. Differt autem diffinitiua ab interlocutoria pluribus modis.

Primò quia per diffinitiuam principaliter diffinitur negotium: per interlocutoriam ſolùm incidenter.

Secundò quia condemnatus per diffinitiuam in aliquo crimine fit infamis: nunquam verò per interlocutoriam.

Tertio in dubio intelligitur de diffinitiua: non autem

de interlocutoria, vt in Statutis, vel alia ſimili materia.

Quartò à diffinitiua poteſt appellari, & ſuſpenditur executio ſine alia inhibitione: ſed ab interlocutoria de Iure Ciuili non appellatur, & ſi appelletur non ſuſpenditur executio, niſi emanata inhibitione. De Iure autem Canonico appellatur à quocunque grauamine.

Quintò diffinitiua non poteſt ab eodem Iudice reuocari, quia prolata ſententia functus eſt officio ſuo *l. Iudex poſt quàm ff. de re iudic.* interlocutoria verò poteſt reuocari ab eodem Iudice ante diffinitiuam. Marant. *in 6. part.princip. in 3. part. Iudicij in 1. act.* vbi ponit etiam quamplures alias differentias inter ſententiam diffinitiuam, & interlocutoriam.

§. *Vocatis*

Iudex vocatis partibus regulariter perſonali citatione loco, & tempore congruis, (loco, ſi ſit certus, in quo reddatur Ius, aliàs poteſt quemlibet locum eligere *l. cum ſententiam C. eod. tit.* & tempus congruum dicitur illud, in quo ſolet reddi Ius) profert ſententiam deſcripti recitatione ſedens, nec poterit per alium recitare illam, niſi ſit Superior Magiſtratus, qualis eſt Epiſcopus *l. 2. C. de ſentent. ex breuic. recitan.* Sed ſi fuerint plures Iudices, vel Arbitri, vnus poteſt recitare in plurali numero alijs præſentibus.

§. *Ex facto*

Si duo Iudices Ordinarij diuerſas ſententias tulerint, tenet illa, quæ eſt pro reo, quia fauorabiliores ſunt rei, quàm actores *l. fauorabiliores ff. de reg. iur.* niſi actoris cauſa ſit priuilegiata, vt eſt cauſa matrimonij, dotis, libertatis &c. *c. vlt. hoc eod. tit.* Si verò ſint Iudices delegati, tunc declarabit Delegans quæ ſententia valeat: & ſi ſint Iudices compromiſſarij, neutra ſententia valebit *ex eod. c. vlt.*

§. *Sed ſiuè*

Non poteſt Iudex iudicarè contra leges, nec contra conſuetudinem, aliàs ſententia eſt nulla. Primò enim Iudex debet ſeruare legitimam conſuetudinem. Secundo ceſſante conſuetudine debet inniti textui. Tertio ſi non adſit textus, debet ſequi illam opinionem, quæ tali fundamento innititur, cui aptè reſponderi

non

non poteſt, etiam ſi ſit opinio ſingularis vnius Doctoris tantum. Quartò ceſſantibus his debet ſequi communem opinionem. Quintò ſi non ſit communis, debet ſequi eam, quæ pluribus fundamentis, & rationibus innititur, quamuis illis reſponderi poſſit. Sexto ceſſantibus omnibus ſupradictis debet ſequi eam, quæ ſecundum materiam ſubiectam benignior, aut fauorabilior eſt. Septimo eam, quæ magis fauet reo. Octauo demum eam, quam affirmant plures DD. ſcientia, & auctoritate maiores, in materia, de qua agitur.

Sententia lata contra Ius alicuius conſtitutionis eſt ipſo iure nulla, veluti ſi minor quatuordecim annis teſtamentum fecerit, & Iudex pronunciet teſtamentum Iure feciſſe. Lata verò contra ius litigatoris valet; tamen per appellationem erit reuocanda, vt cum minor quatuordecim annis dicitur impleuiſſe annum decimumquartum, & per hoc aſſeritur teſtamentum iure feciſſe.

Si verò Iudex contra legem, & conſcientiam iudicat, varijs pœnis punitur, ſiue Ordinarius ſit, ſiue Delegatus; eſt enim ſuſpenſus per annum ab executione officij, & ad æſtimationem litis parti, quam læſit, condemnabitur; & ſi ſuſpenſione durante diuinis ſe immiſceat, irregularitatis pœnam ſubibit.

§. *Lata*

Sententia lata niſi per appellationem ſuſpenſa fuerit, facit tranſitum in rem iudicatam, & ita non poteſt amplius reuocari. Appellatio verò ſi fit in ſcriptis debet intra decem dies proponi: ſi verò in voce, debet ſtatim proponi antequam Iudex procedat ad actus extraneos.

Res autem iudicata ſecundùm Abb. *in rub. de re iudic.* poteſt accipi latè pro ipſa ſententia, quæ imponit finem controuerſiæ per condemnationem, vel abſolutionem *l. 1. ff. de re iudicat.*

Inducitur autem res iudicata, quando non eſt appellatum, vt diximus *c. quod ad conſultationem hoc eod. tit. & auth. hodie C. de appellat.* Item quando fuit appellatum, & appellatio fuit deſerta. Sunt tamen caſus, in quibus nec poſt decem dies ſententia tranſit in rem iudicatam, vt ſi agatur de matrimonio, aut cum ſalus animæ in diſcrimen adducitur, & alij plures, vt dicitur *hic in §. excipiuntur & ibi gloſſ. in verb. plures.*

De Executione Rei iudicatæ.

TIT. XVI.

RES iudicata debet executioni demandari; fruſtra enim eſſet iudicatum, niſi executio ſententiæ ſequeretur. Eſt autem regula, quòd omnis ſententia poſtquam tranſiuit in rem iudicatam poteſt executioni mandari; & ab eodem Iudice, qui eam tulit, ſi ſit Iudex Ordinarius: ſecus ſi ſit Delegatus, quia tunc executio eſt facienda per Delegantem Abb. *in c. ſi quis, de for. compet.* quando Delegans fuit Ordinarius: ſecus in Delegato à Principe, qui poteſt exequi ſententiam ſuam, & reſiſtentes cenſuris Eccleſiaſticis coercere. Sententia verò lata ab Arbitro mandatur executioni per Ordinarium, qui ſit Iudex competens rei conuenti. Bart. *in l. præcipimus C. de Iudic.* Et petitur executio per actionem in factum: ſed melius eſt eam petere per officium Iudicis, in quo non requiritur libellus, nec litis conteſtatio, Sententia autem lata in actione reali, ſtatim mandatur executioni: in perſonali verò poſt quatuor menſes; quòd tempus ex cauſa poteſt breuiari, & prorogari.

§. *Dantur*

Poteſt etiam retardari executio per reſtitutionem in integrum, vt quia qui poterat appellare, ex graui cauſa fuit impeditus. Vnde conceſſa reſtitutione in integrum, poterit appellare, Limitatur quando reſtitutio malitioſe peteretur, vel quando indigeret altiori indagine. Abb. *in c. ſuſcitata, de in integr. reſtit.* Retardatur etiam executio per exceptionem nullitatis propoſitam coram Superiore, non autem coram inferiore *l. 4. §. condemnatum, & ibi DD. ff. de re iudic.*

De Appellationibus.

TIT. XVII.

CVm appellatio retardet, & impediat executionem rei iudicatæ, vt diximus, ideo nunc de ipſa appellatione videndum eſt.

Appellatio eſt prouocatio ad maiorem Iudicem ratione grauaminis illati, vel inferendi. Dicitur *prouocatio* loco generis, quia eſt omnis actus, per quem Iudicis officium, ſeù auxilium imploratur. Dicitur *ad maiorem Iudicem*, quia eſt contra ſubſtantiam appellationis, vt fiat ad Inferiorem. *c.2. & ibi gloſſ. de conſuetud. in 6. in verb. officiali*

Plures autem ſunt termini ſuſpenſionis cauſarum; Nam eſt appellatio, prouocatio, relatio, proclamatio. ſupplicatio, recuſatio, reſtitutio, querela, reductio, & dilatio.

Appellatio, & prouocatio, quod idem eſt, quid ſit modò diximus.

Relatio eſt, quando Iudex conſulit Principem in cauſa ardua, vel quando Princeps delegat cauſam vſque ad ſententiam, quia tunc debet Iudex procedere per duos menſes, & poſtea referre; nec poteſt delegatus referre, niſi finito termino: vel quando Iudex vult referre caſum ad conſilium Peritorum.

Proclamatio refertur ad illas ſententias, à quibus non appellatur, & poteſt etiam referri ad ſententias Arbitrorum; & idem eſt quod reductio ad arbitrium boni viri.

Supplicatio eſt, quando quis reclamat à ſententia Principis, vel alterius, à quo non datur appellatio, quia tunc ſupplicat eidem vt illam cauſam reuideat.

Recuſatio eſt, cum Iudex ex aliqua cauſa redditur ſuſpectus, quia poteſt recuſari, & interim ſuſpenditur eius Iuriſdictio.

Reſtitutio eſt in priſtinum ſtatum repoſitio, per quam reſtitutus eſt iterum audiendus.

Querela in genere ſignificat quamcumque aditionem ad Superiorem, & includit etiam appellationem, ſed in ſpecie eſt, cum non poteſt appellari ex impedimento Iuris; nam aliquandò oppreſſus reclamat, & conqueritur, vt ſibi ſuccurratur.

Reductio eſt ſpecies appellationis, vt diximus, nempe ad arbitrium boni viri.

Dilatio eſt, quando differtur Iudicium ex aliqua cauſa.

§. *Appellationum*

Duæ ſunt ſpecies appellationum, ſcilicet Iudiciales, & extraiudiciales.

Extraiudiciales ſunt illæ, quæ ſolent extra iudicium ante litis ingreſſum interponi prætextu alicuius grauaminis *c. cum ſit, de* ap-

appell. §. *ſi verò à grauamine*, & *ibi gloſſ. in verb. ante litem*, *cum duab. gloſſ. ſeqq.* omninò per vos vidend. & in ſpecie dicuntur prouocationes, quæ ſolum de Iure Canonico procedunt, vt in electionibus, poſtulationibus. & ſimilibus.

Iudiciales ſunt quæ in Iudicio proponuntur poſt ſententiam latam; quarum quædam ſunt ab interlocutoria, quando Iudex interloquitur, vel aliquid decernit: quædam verò a diffinitiua, poſtquam ſuper toto negotio Iudex pronunciauit.

§. *Multum*

Poſt latam ſententiam intra decem dies eſt appellandum in ſcriptis, aut ſtatim viua voce, vt iam dixi. Et ſi cauſa eſt inappellabilis Iudex dat refutatorium, ideſt non admittit appellationem; aliquando tamen in reuerentiam Principis, ad quem appellatur, dat reuerentiales, quo caſu decidendum eſt, an cauſa ſit appellabilis, vel inappellabilis. Si verò cauſa eſt appellabilis, dat terminum Iuris, appellationem admittendo, qui terminus Iuris eſt triginta dierum ad redeundum pro apoſtolis petendis, qui apoſtoli ſunt litteræ dimiſſoriæ, quæ dantur à Iudice à quo fuit lata ſententia ad Iudicem ad quem fuit facta appellatio, vt inſtruatur de proceſſu in prima inſtantia *facto l. vnic ff. de libell. dimiſſor.* Sed per Statutum Vrbis *lib.* 1. *cap.* 166. & 167. appellatio eſt interponenda intra octo dies, & ſi detur terminus Iuris, eſt quinque dierum; quod ſeruatur in Curia Capitolina. Si verò appellans intra ſupradictum terminum apoſtolos non petierit, appellatio dicitur deſerta, & ſententia facit tranſitum in rem iudicatam. Si verò dubitat Iudex an cauſa ſit appellabilis, nec ne, tunc admittit appellationem ſi, & in quantum &c. ideſt ſi cauſa eſt appellabilis, admittit, aliàs non admittit. Praxis autem eſt in appellationis interpoſitione dicere, apoſtoloſque ſemel, bis, tertio, inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſimè ſibi dari, atque concedi petit omni meliori modo &c.

§. *In appellationibus*

In appellatione à diffinitiua non eſt neceſſe inſerere cauſam, ſed ſufficit quod in genere appellans dicat ſe grauatum, & ſententiam eſſe iniuſtam. Abb. *in c. cum in Eccleſia num. 6. hoc eod. tit.* Limitatur in caſibus, in quibus de Iure prohibetur appellatio à diffinitiua. Gloſſ. *in c. Romana* §. *ſin autem*, & ibi Gemin. *eod. tit.*

tit. in 6. ſiue ſit prohibita à lege, ſiue ab homine. Et ratio eſt, quia appellans tunc habet præſumptionem contra ſe; vnde Iudex non tenetur deferre eius appellationi.

§. *Cum autem*

In appellatione verò ab interlocutoria debet inſeri cauſa probabilis, & in ſpecie, & ſi plures ſint, omnes exprimi debent nominatim, nec ſufficit facere relationem ad acta. *Clemen. appellanti hoc eod. tit.* & ibi Cardin. Nec etiam ſufficit dicere, appello ex tali cauſa, & alijs loco, & tempore proponendis, quia iſta clauſula nihil operatur, vt Cardin. *ibid.* Ampliatur etiam ſi cauſa grauaminis ſit notoria, quia licet notorium releuet ab onere probandi, non tamen releuat ab onere proponendi. Gloſſ. *in d. Clemen. verb. alias cauſas* & debet proponi coram Iudice à quo *c. vt debitus, eod. tit.*

§. *Quod ſi Iudex*

Quod ſi Iudex ad quem, compererit minus probabiliter appellatum, remittit appellantem ad Iudicem à quo, condemnato appellante in expenſis reficiendis alteri parti. Et ſi dicitur ex iniuſta cauſa appellatum, Iudex ad quem non poteſt inhibere Iudici à quo, niſi recepta prius appellatione, vt probabiliter incipiat cognoſcere de cauſæ veritate.

§. *Sed videamus*

Dicit textus quòd Iudex à quo non poteſt compellere appellantem à grauamine, vt probet ipſum grauamen: ſed ſolùm poteſt eumdem citare, & terminum ei præfigere ad audiendam reuocationem, qui ſi non comparuerit, poterit grauamen prætenſum reuocare, & proſequi in cauſa tanquam ſi non fuiſſet appellatum.

§. *Ac veluti*

Eum, qui appellauit ab interlocutoria, poteſt pœnitere, & facere vt Iudex à quo procedat, refectis tamen expenſis parti, quas fecit ob appellationem. niſi appellationis cognitio alteri fuerit delegata *c. interpoſita §. ille hoc eod. tit.*

§. *Non omnis*

Sunt autem plures caſus, in quibus appellationi non defertur v. g. ſi quis confeſſus eſt, non poteſt appellare; & alij, de quibus *in textu*, *& ibi gloſſ. in verb. caſibus*. Prohibitus autem appellare, non eſt prohibitus dicere de nullitate, quia ſunt duo remedia ſeparata, & vno remoto remanet aliud. Bald. *in l. eos C. hoc eod. tit.* Vant. *de nullitat. tit. quis poſſit dicere de nullit. numer.* 33.

§. *Et ideo*

Regulares non appellant à correctione ſui Prælati. Item à Iudice ſeculari non ſubdito Papæ non appellatur ad Papam, ſed ad Principem, cui ille Iudex ſubditus eſt, manens in illius Iuriſdictione.

§. *Licet autem*

Habetur in hoc tex. quòd appellans ab Ordinario poteſt coram eodem ſuper alia cauſa, & præſertim pro graui, & manifeſto crimine conueniri, & ab eodem condemnari.

§. *Interpoſita*

Geſta per Iudicem à quo, vel per partem poſt appellationem à diffinitiua, dicuntur attentata, & veniunt ante omnia reuocanda. Sed poſt rem iudicatam non datur de attentatis commiſſis pendente appellatione, quia cum pars non oppoſuerit de attentatis, & paſſus fuit in cauſa principali procedi, videtur illis renunciaſſe ſecundùm Angel. de Peruſ. *in l. ei cuius ff. de appellat. recip. vel non.* Sed appellatio ab interlocutoria non cauſat attentata, niſi ſequuta inhibitione, vt dicitur *in ſeq. §. illa verò*.

§. *Appellaſſe*

Appellatio non ſolùm verbis, ſed etiam facto demonſtrari poteſt, vt ſi is, contra quem ſententia lata eſt extra Curiam, iter arripiat ad Sedem Apoſtolicam infra terminum datum ad appellandum, qui eſt decem dierum poſt ſententiam latam, vt aliàs

dixi-

diximus. In Curia verò ſufficit facere diligentiam coram Regente Cancellariæ pro commiſſione ſignanda, vt notatur per Felin. & Dec. *in c. perſonas hoc eod. tit.* Neque in appellatione eſt de forma exprimere verbum, appello, vel prouoco: ſed ſufficit quodcumque verbum, ſeù quodcumque factum aptum ad demonſtrandum, quod non acquieſcit ſententiæ, & ſemper Iuris auxilium petat is, qui contra ſe ſententiam reportauit, dummodo hoc dicat, vel faciat infra terminum, vt ſupra.

§. *Quod ſi*

Si plures fuerint Iudices, ſufficit coram maiori parte ipſorum appellare, & ſi vnus ex pluribus proceſſerit, poterit ab ipſo ſolo appellari. Gloſſ. *in Clem.* 1. *de appellat.* Et ſi non poſſit haberi maior pars, ex quo non ſtat per eum, qui vellet appellare, poteſt appellare coram vno ex illis, proteſtans quod per ſe non ſtat. Et ſi neutrum haberi poteſt, tunc poteſt coram publicis, honeſtiſque perſonis proteſtari *c. fin. hoc eod. tit. & gloſſ. cit. & dicitur in præced. §. Is quoque.*

§. *Idem ex contrario*

Sic etiam ſi vnus ex pluribus in eadem ſententia condemnatis appellat, prodeſt etiam alijs condemnatis, ſi ſit idem negotium.

§. *Iam dubitari*

Si impetratur reſcriptum à Papa, per quod plures articuli connexi committantur, & in vno ſit appoſita clauſula, appellatione remota, intelligitur appoſita in omnibus, quia connexorum idem eſt Iudicium *c. translato, de conſtitut.* ſed iſta clauſula non conceditur in Signatura Iuſtitiæ, ſed ſolùm in Signatura Gratiæ à Papa. Sed ſi ſit manifeſta iniquitas ſententiæ, vt quia ſit contra aliquam legem claram, tunc non obſtante dicta clauſula, poterit nihilominus appellari.

§. *Illud tam*

Poſt quam fuit appellatum, & Iudex appellationem admiſit, & dedit apoſtolos, ſeù litteras dimiſſorias, habet appellans à Iure annum, & ex cauſa biennium ad proſequendam appellatio-

nem, quem terminum poteſt Iudex ex cauſa breuiare *c. cum ſit Romana, & c. ad aures, de appellat.* Quod ſi intra hoc tempus non fuerit proſequutus, appellatio ſit deſerta, & reincidit appellans in Iuriſdictionem Iudicis à quo, vt ſupr. diximus.

Cum verò Iudicium eſt ſuſceptum de partium conſenſu, vt accidit in compromiſſo, poſſunt partes ſibi prorogare terminum proſequutionis appellationis, quia Iudicium tunc valet in vim pacti.

§. *Pars quoquè*

Partes interdum poſſunt ſibi breuiare terminum, non autem prorogare, quia pacta priuatorum non poſſunt Iuri publico derogare *l. priuatorum C. de Iuriſd. omn. Iudic.* & Iure publico ſtatutum eſt tempus ad proſequendam appellationem, ne lites fiant immortales *c. finem litibus, de dol. & contumac. & c. iurgantium, de ſent. & re iudic.*

Confirmatio verò ſententiæ facta à Papa in forma communi, ideſt ſi, & quatenus valeat, non præiudicat appellationi, ſicut nec etiam laudo, ideſt ſententiæ latæ per Arbitrum. Vnde etiam ab illa poterit appellari, & ab iſta peti reductio ad arbitrium boni viri. Sed ſi quis poſſederit pacificè rem aliquam, & poſſeſſio fuerit confirmata à Papa, Iudex non poterit de ea cognoſcere ſine ſpeciali commiſſione Papæ, ex quo Papa manum appoſuit, niſi prætendatur quod confirmatio fuerit ſubreptitia, ideſt per falſam cauſam elicita: vel obreptitia, ideſt per veri reticentiam impetrata.

De Reſtitutione in integrum

TIT. XVIII.

INter cetera, quæ ſententiæ executionem impediunt, eſt etiam reſtitutio in integrum, id circò de illa videndum eſt.

Reſtitutio in integrum eſt in priſtinum ſtatum repoſitio *l. quod ſi minor §. reſtitutio ff. de minorib.* quæ obtenta impedit executionem ſententiæ, ita vt ea pendente nihil poſſit innouari. *L. vnic. C. de integr. reſtit. poſt.* Limitatur quando peteretur reſtitutio aduerſus ſententiam Principis, quia tunc non impeditur executio, præſtita ſatiſdatione per alteram partem de reſtituendo in caſu re-

tractationis *c. ſuſcitata*, & ibi Abb. *eod. tit.* Limitatur etiam, quando reſtitutio malitioſè peteretur, vt quia eſſet præſumptio contra petentem. *d. c. ſuſcitata*.

Regulariter autem admittuntur ad reſtitutionem in integrum minores, & Eccleſia, non ſolùm aduerſus ſententiam, ſed etiam aduerſus quamlibet læſionem, & etiam aduerſus aliam Eccleſiam.

Datur autem reſtitutio intrà quatuor annos, & ex cauſa rationabili poteſt tempus prorogari, & poteſt peti tam apud Ordinarium Iudicem, quàm apud Delegatum à Principe ad id principaliter impetratum *l. fin. C. vbi, & apud quem*. Nàm is, qui ſe læſum ſentit, debet adire Iudicem Ordinarium, qui ſit competens reo conuento, & coram eo reſtitutionem implorare citato aduerſario. Poteſt etiam coram Delegato petere ſe reintegrari ad ius ſuum diminutum *d. l. final.* Quod procedit ſi principaliter petat reſtitutionem in integrum: ſecus ſi ſolùm petat incidenter, quia tunc non erit opus alio Iudice, ſed coram eodem Iudice, coram quo cauſa controuertitur, poterit illam petere, *vt per gloſſ. in d. l. fin.*

INSTITVTIONVM IVRIS CANONICI LIBER QVARTVS

De Accuſationibus, Denunciationibus, & Inquiſitionibus

TIT. I.

DIctum eſt de Iudicijs Ciuilibus, ſequitur de Criminalibus, quæ inſtituuntur per accuſationem, vel denunciationem, vel inquiſitionem.

Accuſatio fit in forma libelli, cum loco, & tempore commiſſi delicti, & inſcriptione ad pœnam talionis *l. libellorum ff. de accuſat.* Sed hodie inſcriptio iſta non eſt in vſu, nec etiam accuſatio hodie eſt in vſu, & ſolùm Romæ in crimine adulterij proceditur per accuſationem per Statutum Vrbis *lib.* 2. *cap.* 50. hoc ſpecialiter diſponens *in fin. d. cap.*

Denunciatio duplex eſt, alia Euangelica, alia Iudicialis. Euangelica fit, quando quis manet in peccato mortali, & poſt ſecretam correctionem non vult deſiſtere, quia tunc denunciari debet Iudici Eccleſiaſtico, vt faciat ipſum deſiſtere, qui poteſt procedere etiam ad excommunicationem. Iudicialis eſt, quæ fit per officiales, qui debent etiam ſe inſcribere ad pœnam talionis: ſed neque hæc inſcriptio hodie eſt in vſu, ſed alijs pœnis puniuntur ex diſpoſitione S. C. Turpiliani, quod punit calumniatores.

Inquiſitio triplex eſt. Prima generaliſſima, quando nouus magiſtratus inquirit de malis hominibus ad purgandam ciuitatem *l. congruit ff. de offic. Præſid.*

Secunda eſt generalis, quæ fit quando eſt commiſſum aliquod crimen v.g. homicidium, & ignoratur auctor, tunc fit inquiſitio

contra vicinos, & familiares eius, qui mortuus eſt, & contra inimicos eius, ſi illos habebat.

Tertia eſt ſpecialis, quæ fit contra inditiatum de crimine, vel diffamatum. Sed ſi opponitur quod non præcedebat infamia, Iudex non poterit vlterius procedere, niſi prius probetur diffamatio. Si verò non opponatur, tenet proceſſus *c. 2. eod. tit. in 6.*

De Duplici Purgatione

TIT. II.

DIffamati de aliquo crimine per accuſationem &c. tenentur ſe purgare ab illa infamia, aliàs puniuntur. Si quis verò eſt confeſſus, vel teſtibus conuictus, vel ſi crimen eſt notorium, non eſt ei inducenda purgatio, ſed debet condemanari. Sin autem eſt ſolùm diffamatus, debet ſe purgare, & innocentem ſe demonſtrare. Vnde purgatio ſic definitur. Eſt ſuper obiecto crimine innocentiæ facta demonſtratio.

Purgatio autem duplex eſt, vulgaris, & Canonica. Vulgaris fiebat per ferrum candens, per duellum &c. ſed quoniam hoc erat tentare Deum, vt miraculosè procederet, ideo eſt ſublata, *vt tot. tit. de purgat. vulg.* Canonica eſt, quæ fit inducendo teſtes compurgatores, qui deponant medio iuramento, ſe credere, quòd talis accuſatus, & inquiſitus non commiſerit tale crimen, ex eo quia habent notam illius probitatem, & illius bonos mores, *vt tot. tit. de purgat. Canonic.*

De Simonia.

TIT. III.

CRimina quædam continent offenſam Dei, & quædam etiam hominis damnum Quæ Deum principaliter lædunt ſunt ſimonia, hæreſis, ſchiſma, apoſtaſia, ſortilegium, maledictum, & ſacrilegium. Quæ verò hominibus etiam damnum inferunt ſunt homicidium, adulterium, ſtuprum, rapina, furtum, vſura, falſum, & iniuriæ, vt dicitur *in §. fin. tit. ſuperior.* Incipit modò in præſenti tit. à ſimonia, quæ omnium criminum peſſimum eſt.

Simo-

Simonia eſt prohibita à Iure diuino ſecundùm Felin. *in c.* 1. *eod. tit.* Sed quod ſit prohibita à Iure poſitiuo dicit Durand. *in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 5. eſſe communem opinionem Legiſtarum. Ceuall. verò *in ſuis comm. con. comm. quæſt.* 260. ita diſtinguit, quod alia eſt Simonia prohibita, quia ſimonia eſt, & hæc eſt prohibita de Iure diuino, quæ contingit in collatione ordinum, & Sacramentorum: alia eſt simonia ſolùm quia prohibita eſt, & hæc eſt de Iure poſitiuo, quæ contingit in collatione beneficiorum. Quæ diſtinctio omnibus Peritis placet.

Dicta eſt autem simonia à Simone Mago, qui voluit emere pecunia Spiritum Sanctum, *vt in actib. Apoſtol. cap.* 8. Sic verò definitur. Eſt rei ſpiritualis, vel ſpiritualibus adnexæ cum aliquo temporali facta commutatio. Dicitur, ſpiritualibus adnexæ, propter Iuſpatronatus, quod eſt adnexum inſtitutioni, quæ ſpiritualis eſt *c. quanto de Iudic. & c. de iure, de Iurepatr.*

Duplex eſt simonia, conuentionalis, & mentalis.

Conuentionalis eſt, quæ deducitur in pactum. v.g. dabo tibi decem si me ordinaueris, vel si mihi beneficium contuleris, vel renunciaueris. Papa tamen in beneficijs purgat omnem ſuſpicionem simoniæ; Vnde permutantes, vel renunciantes ſub penſione in manibus Papæ, rectè faciunt, vt diximus *ſupr. in tit. de renunc.*

Mentalis eſt, quando non deducitur in pactum: ſed ea mente aliquid datur, vel recipitur, vt ſpirituale intercedat; vel ſpiritualitati adnexum dando illud, vel recipiendo; quòd dicitur peccatum ſimoniæ mentalis. Et ſi habeo ſolùm animum committendi ſimoniam, non incido in pœnas ſimoniæ, quia non ſequitur effectus.

§. *Contrahitur*

Simonia contrahitur non ſolùm quando datur pecunia numerata, ſed etiam ſi alia res, vel factum præbeatur, quòd eſſet pecunia æſtimabile, prout ſunt obſequia principaliter ea intentione præſtita, quia pecuniæ appellatione venit quælibet res, quæ poſſit pretio æſtimari, vel ad pecuniam redigi *l. fin. C. de conſtit. pecun. l. pecunia nomine l. pecunia appellatione, & l. pecunia verbum ff. de verb. ſignif.*

Sed an preces inducant ſimoniam eſt quæſtio. Et Rip. *in c. cum M. Ferrarenſis, de conſtitut. verſic.* 23. *noto num.* 40. *cum tribus ſeqq.* tenet quòd ſic. Sed Nauarr. ad extrauag. Gregorij Decimitertij

de

*de datis, & promiſſis pro gratia, vel iuſtitia verſic.*12. *noto num.* 27. tenet contrarium. Pro concordia harum opinionum videte gloſſ. *in c. tuam, de ætat. & qualit. in verb. nullum prorſus*, quæ diſtinguit plures caſus, quos retulimus *ſupr. in tit. de elect. in* §. *quòd ſi forte*, vt *ibi* videre poteritis.

Committitur etiam ſimonia pro quolibet actu à ſpiritualitate dependente, vt in ſepeliendis mortuis, in benedictionibus nubentium &c. nec valet conſuetudo in contrarium *c. Iacobus hoc eod. tit.* nec poteſt aliquid exigi pro paſtu, vel paſtillo vt gloſs. *ibidem*, niſi id, quod ab ipſa Eccleſia ſtatutum eſt.

§. *Nec diſtinguemus*

Poteſt aliquis dici ſimoniacè ordinatus, vel electus, licet ipſe non ſit ſimoniacus, vt ſi aliqui eo ignorante dederint aliquid, vt ordinaretur, vel eligeretur; & propterea non ſuſtinetur ille actus. Idem contingit in collatione beneficij ſimili modò facta, quæ non ſuſtinetur, niſi facta renunciatione libera beneficij; tunc enim poterit Epiſcopus cum eo diſpenſare; quod tamen facere non poſſet in collatione ordinum; vel in electione, vt ſupr. facta, quæ omninò reprobanda erit. Simoniacè verò ordinans cum ſuo ordinato, & Clerico mediatore eſt deponendus, laicus verò mediator anathematizandus erit.

§. *Hæc tamen*

Simoniaci varijs pœnis puniuntur vltra depoſitionem. Sed ordinatus à ſimoniaco, non tamen ſimoniacè ex diſpenſatione tolerabitur *can. ſtatuimus decretum* 1. *qu.* 1. & ille, qui ſimoniacè beneficium adeptus eſt, accuſatus, & conuictus priuatur beneficio, & deponitur: ſi verò per inquiſitionem ſolùm, priuatur beneficio, ſed poſt pœnitentiam permittitur in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Sic paruuli, qui beneficia ſunt conſequuti per ſimoniam parentum, poſt liberam reſignationem poterit cum eis diſpenſari.

§. *Huius*

Ad accuſandam ſimoniam quilibet admittitur, & quamuis peccator pœnitens poſſit miſſam celebrare, non poteſt tamen Simoniacus, licet ordinatus ſimoniacè recipiat characterem, &

ſacrificium valeret ex opere operato. *Ita text. in c. tanta hoc eod. tit.* Et ratio eſt quia ſimonia quodamodò inficit ordines ab initio. Videte *gloſſ. in eod. c. tanta, in verb. omnis peccator.*

§. *Sciendum*

Dicitur in tex. quod ſpontè oblatum, & datum non inducit ſimoniam. Sed pro adminiſtratione Sacramentorum Parochi nihil poſſunt recipere etiam à ſpontè dantibus: pro eleemoſina verò, quæ ſponte offeratur, poſſunt recipere. Datum etiam gratia redimendæ moleſtiæ ſuper Iure quæſito indebitè illatæ non inducit ſimoniam.

Prælatus verò, qui vices ſuas committit ſub annuo cenſu, & qui exigit aliquid pro concedenda docendi licentia varijs pœnis punitur, prout dicitur *hic in duob. §§. ſeqq.*

De Hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis

TIT. IV.

Dictum eſt de illis qui per ſimoniam emunt, & vendunt Spiritum Sanctum, erat modò videndum de illis, qui malè credendo Spiritum Sanctum blaſphemant, vt ſunt hæretici, ſchiſmatici, & apoſtatæ.

Hæreticus non ſolùm eſt is, qui malè ſentit de articulis fidei, vel de Sacra Scriptura, & etiam de Sacramentis Eccleſiæ: verùm etiam is, qui habet aliquod peruerſum dogma, vel eſt auctor alicuius nouæ opinionis falſæ, aut ab Eccleſia opiniones damnatas ſequitur. Hinc eſt quod ſi quis dixerit v. g. fornicationem non eſſe peccatum, erit hæreticus.

Vt autem quis dicatur hæreticus, requiritur. Primo quod ſit baptizatus, aliàs dicetur paganus, ſeù infidelis. Secundo quod erret ſcienter in fide catholica. Tertio quod ſit pertinax in ſuo errore. Dubius autem in fide, ſi habeat firmitatem animi in ſua dubitatione, eſt hæreticus; debet enim deponere dubietatem, & captiuare intellectum ſuum in obſequium fidei. Qui verò Chriſtum ore negauit metu tormentorum, credit tamen corde, non eſt hæreticus, ſed grauiſſimè peccat. Gloſſ. *in can. non ſolùm il 2. verb. negare Chriſtum* 11. *quaſt.* 3.

Schiſmatici ſunt qui ab vnitate Eccleſiæ per inobedientiam ſe-

ſepa-

ſeparantur. Et licet à principio inter hæreticos, & ſchiſmaticos eſſet diuerſitas: hodie tamen non eſt, quia nullum eſt ſchiſma, quod aliquam hæreſim non contineat. Vnde eo ipſo quòd ſchiſmaticus non agnoſcit Pontificem Romanum pro vnico Capite Eccleſiæ, eo ipſo hæreticus eſt. Abb. *in rub. eod. tit.*

§. *Vtrumque*

Vtrumque crimen atrociſſimis pœnis punitur, & generaliter loquendo omnes pœnæ impoſitæ in crimine læſæ maieſtatis, cenſentur repetitæ in crimine hæreſis *ad tex. in c. vergentis de hæretic.* & pœnæ in crimine læſæ maieſtatis ſunt regiſtratæ *in l. quiſquis C. ad l. Iul. maieſt.* Schiſmatici enim excommunicatione, depoſitione, bonorum confiſcatione, & à ſe geſtorum annullatione puniuntur.

§. *In hæreſi autem*

Hæretici verò præter perpetuum vinculum anathematis, ſi ſint Clerici priuantur omni beneficio, & Officio Eccleſiaſtico *c. ad abolendam §. 1. de hæretic.* & amittunt omnem Eccleſiaſticam poteſtatem. Simanc. *de hæretic. cap.* 45. Imò & filij hæreticorum priuantur beneficijs, & officijs Eccleſiaſticis obtentis tempore commiſſi criminis. Iul. Clar. *in ſua prax. §. hæreſis verſic. item Clericus.* Item filij receptantium hæreticos, licet idem Simanc. dicat eſſe mitiorem conſuetudinem, vt eorum filij non puniantur.

Si verò ſint Laici impœnitentes, debent tradi Iudici ſeculari puniendi: ſed prius monendi, & hortandi pluries, vt ad fidem, & gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ reuertantur. Calderin. *lib.* 2. *de hæretic.* Quòd ſi noluerint redire, puniuntur, vt iam dictum eſt, & bona eorum confiſcantur, imò ſunt confiſcata ipſo iure à die commiſſi criminis.

Difficultas autem eſt, cui applicentur iſta bona confiſcata? Et de Iure Canonico bona Clerici hæretici habentis beneficium Eccleſiaſticum, pertinent ad Eccleſiam, in qua eſt beneficium: & ſi non habeat beneficium, pertinent ad Eccleſiam Cathedralem bona verò Laici hæretici applicantur Fiſco ſeculari *c. excommunicamus il* 1. *& il* 2. *de hæretic.* Confiſcantur etiam exiſtentibus filijs *d. c. vergentis*. Et etiam poſt mortem delinquentis vſque ad 40. annos à die mortis, & non vltra, ſi mortui putabantur Catholici *c. accuſatus §. penult. de hæretic. in 6. & ibi gloſſ. in verb. poſt mortem.*

Propter hæreſim tamen mariti dos vxoris non eſt confiſcanda, niſi ſcienter mulier contraxerit matrimonium cum hæretico. Inducitur tamen ſeparatio tori, ſiue ex iudicio Eccleſiæ, ſiue non. Quod ſi redierit ad fidem, compellitur coniux redire ad coniugem. Abb. *in c. de illa, de diuort.*

Dubitatur autem de bonis Magorum numquid ita ſint ipſo iure confiſcata, vt nemine accuſante teneantur ipſi met offerre bona ſuo Fiſco, & quamdiù illa non offerunt, ſint etiam in hoc peccato, quaſi bona aliena retineant. Hanc quæſtionem examinat latè Turriblanc. *de Magia lib. 4. de crimin. punition. cap. 4. num. 3. & 4.* & tenet quòd non tenentur, contra opinionem Caſtr. *lib. 2. de leg. pœnal.*

§. *Sed & eorumdem*

Deſcendentes ab hæreticis maſculis vſque ad ſecundum gradum, ideſt vſque ad nepotes incluſiuè, & ab hæreticis fœminis vſque ad primum gradum, non poſſunt habere beneficia Eccleſiaſtica, nec publica officia. Sed dubitatur, numquid iſtæ pœnæ, quæ afficiunt filios hæreticorum, comprehendant tam antea natos, quàm poſt. Et dicitur comprehendi omnes indiſtinctè. Teſtatur de communi Simanc. *de hæretic. cap. 29.* Sed ipſe tenet contrarium, & inquit plures neque numero, neque auctoritate inferiores alijs hanc opionem ſequi; quam tanquam æquiorem ſibi magis placere affirmat Iul. Clar. *vbi ſupr. verſic. quæro nunc.* Flij verò eorum, qui fuerunt hæretici, & poſtea emendati, & Eccleſiæ vnitati reincorporati fuerunt, non includuntur ſub prædictis pœnis.

§. *Quod ſi*

Si abiurata hæreſi iterum, quis in hæreſim inciderit, tanquam relapſus relinquitur ſeculari Iudicio puniendus. Et relapſus intelligitur non ſolùm quando ante abiurationem plenè probata fuerit hæreſis: ſed etiam ſi fuerit vehemens ſuſpicio, ſecus ſi ſuſpicio fuerit modica, & leuis, quia licet tunc non dicatur relapſus, eſt tamen grauiter puniendus. Sic etiam relapſus dicitur qui abiurato vno articulo, poſtea fit hæreticus in alio.

Sciendum autem eſt quod ſunt aliqua facta, quæ ſapiunt hæreſim; & ſunt illa, quæ de ſui natura præſeferunt aliquid, quod

eſt

eſt manifeſta hæreſis, vt baptizare imagines, rebaptizare pueros &c. Sed vtrum inuocatio Dæmonum ſapiat hæreſim manifeſtam? Et reſpondetur, aut inuocantur, vt ſciantur futura, & ſapiunt hæreſim, quia tribuitur Dæmoni quod eſt proprium Dei: aut inuocantur ad alium finem v. g. ad tentandam mulierem, & non ſapiunt hæreſim, quia hoc eſt proprium Dæmonis: eſt tamen peccatum grauiſſimum. Clar. *in d. §. hæreſis, verſic. ſucceſſiuè quæro*

§. *Qui verò*

Suſpecti de hæreſi debent ſe purgare, alioquin ſunt excommunicandi; quòd ſi in excommunicatione perſtiterint, tanquam hæretici condemnandi ſunt.

§. *Apoſtatæ*

Apoſtatæ ſunt qui à ſtatu fidei, obedientiæ, vel Religionis, quam ſe tenere profeſſi ſunt, temerè recedunt.

Triplex autem eſt apoſtaſiæ ſpecies, perfidiæ, inobedientiæ, & irregularitatis.

Prima eſt, cùm quis à fide recedit, puta cum Chriſtianus effectus in Chriſti fide præuaricatur, & ad Iudaicos, vel alios deteſtabiles ritus ſe conuertit.

Secunda eſt, cùm quis præceptum Superioris ſui ſponte tranſgreditur, ſiue Patrum regulis, vel conſtitutionibus non obtemperat.

Tertia eſt, cùm quis ab Ordine ſuo, ſiue aſſumptæ Religionis temerè recedit.

Pœnæ autem Apoſtatarum præter infamiam, & excommunicationem, ſunt aliæ plures, de quibus Hoſtienſ. *in ſumm. tit. de Apoſtat. §. qualiter puniantur.*

De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis

TIT. V.

PRoximi Hæreticis, Schiſmaticis, & Apoſtatis ſunt Sortilegi, Maledici, & Sacrilegi.

Sortilegi ſunt, qui prætextu religionis per quaſdam ſortes diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum

rum

rum inſpectione facta futura promittunt. Inquiſitores autem hæreticæ prauitatis non procedunt contra ſortilegos, niſi ſortilegium expreſſam contineat hæresim: ſed cognitio eorum ſpectat ad Ordinarios.

Sic omnes artes Ariolorum, Aruſpicum, Incantatorum, & aliorum, de quibus *in can. igitur 26. quæſt. 3. & 4. & in can. non obſeruetis ead. 26. quæſt. 7.* ſunt deteſtatæ, ob quamdam ſocietatem cum Dæmone. Hinc prohibita eſt Iudiciaria Aſtrologia, præter quam circa agriculturam, nauigationem, & rem medicam, & contrauenientes puniuntur, etiam quod aſſerant id certò non affirmare, ſicut etiam retinentes libros tractantes de his, & iſta prohibitio obligat etiam in foro coſcientiæ, etiam ſi proteſtentur ſe id certò non affirmare. Ita Sixtus Quintus *conſtit.* 17. *lata anno* 1585. quam ſtrictiſſimè confirmauit Vrbanus Octauus *conſtit.* 113. *lata anno* 1631. Sic prohibita eſt ars Cabaliſtica, & omnes aliæ ſimiles, de quibus latiſſimè agit Turreblanca *in ſuo tract. de Magia lib.* 1. *per plura capita*.

Pœna autem Sortilegorum eſt, quòd ab Eccleſia eijciantur, & perpetuo anathemate feriantur; quòd ſi Clerici ſint degradentur.

§. *Diuerſa eſt*

Maledicorum verò diuerſa eſt pœna; nam ſi quis in Deum, vel Sanctorum aliquem publicè blaſphemare auſus fuerit, & pœnitentiam agere recuſauerit, viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arcebitur, & moriens Eccleſiaſtica carebit ſepultura.

§. *Similibus*

Sacrilegi verò ſimilibus, & interdum acrioribus pœnis puniuntur pro qualitate ſceleris; quibus quoque pœnis obnoxij ſunt ſacrilegis conſentientes, & Sacerdotes iis impœnitentibus, & ſatisfacere nolentibus abſolutionem, & alia ſacramenta miniſtrantes, vel ſepulturæ eorum interuenientes, vel ab eis eleemoſinam recipientes.

Sacrilegium autem committitur tam intuitu rerum, quàm perſonarum. Rerum. vt cum quis ſacrnm de ſacro, vel ſacrum de non ſacro. vel non ſacrum de ſacro aufert; quod etiam ad ambitum extenditur, vbi tamen immunitas ambitus ſeruatur. Sic etiam ſi quis Eccleſiam incendere, vel violare auſus fuerit, & ſimi-

milia. Perſonarum, vt cum quis in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, vel cum perſona Deo ſacra carnaliter ſe commiſcuerit &c.

De Furtis.

TIT. V I.

DIctum eſt de criminibus, quæ ſolam Dei offenſam continent, modò ſequitur de his, quæ etiam damnum proximi reſpiciunt, & incipit textus à furtis, quia cum ſit dictum in tit. præcedenti de ſacrilegio, quod eſt furtum rei ſacræ, modò ſubnectit titulum de furtis generaliter.

Plures ſunt ſpecies vſurpationis rei alienæ, quas enumerauimus *in princ. tit. de vi bonor. rapt. in Ciuil. Inſtit.* Hæ tamen omnes ſub nomine furti comprehenduntur, quod comprobatur *ex c. 1. de furt.* vbi plagiatus ſub nomine furti continetur, inquit enim textus, qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, morte moriatur, ideſt morte ſpirituali excommunicationis, vt *ibi* Abb. & quamuis *in Exod. cap. 21. n. 16.* vnde deſumitur ille textus, intelligatur de morte naturali, hodie tamen Eccleſiaſtici non inferunt pœnam ſanguinis *c. in Archiepiſcopatu, de raptorib.*

De Iure autem Ciuili fures ſimplices puniuntur ad duplum, ſi ſit furtum nec manifeſtum, & ad quadruplum ſi ſit manifeſtum, *vt in §. 1. Inſtit. Ciuil. de obligat. quæ ex delict. naſc.* Sed canones non inferunt iſtas pœnas dupli, vel quadrupli, ſed ſolùm quod reſtituatur res, & ſoluatur intereſſe, ad quas pœnas tenentur etiam partientes cum furibus, & conſcij furtum occultantes.

Pro occiſis verò in ipſo furto non eſt orandum, niſi ante mortem ſint confeſſi, quia tunc nec Euchariſtia eſt illis deneganda.

Qui ex neceſſitate furatur, ſi modica eſt, mitius punitur, quàm ſi nulla neceſſitate ductus furatus eſſet: ſi verò neceſſitas eſt maxima, ad nihil tenetur, puta ſi non poterat alio modo vitam ſuſtentare, quàm cibaria ſubripiendo &c. Ita DD. communiter, quia tempore maximæ neceſſitatis omnia ſiunt communia, ideſt omnia ſunt communicanda, vt explicat gloſſ. *in l. 2. §. itidem agitatum eſt ff. ad l. Rhod. de iact.* & ita ille non tollit quod alienum, ſed quod ſuum eſt.

De

De Vſuris.

TIT. VII.

VSura, quæ eſt quædam ſpecies furti, ſic definitur, eſt quicquid vltra ſortem rei mutuatæ recipitur. Et duplex eſt, mentalis, & conuentionalis. Mentalis eſt, quando ea mente datur, vel recipitur mutuum, vt aliquod lucrum percipiatur. Conuentionalis eſt, quando deducitur in pactum, vt aliquid detur vltra ſortem. Præterea vſura alia eſt vera, alia palliata. Videte quæ diximus *in Inſtit. Ciuil. tit. quib. mod. re contrah. oblig. in princ.*

Dubitatur autem numquid vſura ſit mixti fori, ita vt poſſit de ea cognoſcere tam Iudex ſecularis, quàm Eccleſiaſticus. Et pro vtraque parte ſunt opiniones, quas refert Ceuall. *in ſuis comm. contr. comm. quæſt.* 11. *num.* 8. *cum duob. ſeqq.* & inquit quòd eſt mixti fori ſecundùm communem, certam, & tenendam opinionem teſte Guttierez *quæſt. Canonic. lib.* 2. *cap.* 18. *à num.* 13. *ad* 15. Ipſe tamen Ceuall. diſtinguit, aut loquemur de ſubſtantia contractus, an ſit vſurarius, vel non, & tunc cognoſcit Iudex Eccleſiaſticus: aut eſt quæſtio de facto, ſcilicet an quis receperit plus, vel non, & tunc cognoſcit etiam Laicus.

Item eſt quæſtio, vtrum bona vſurariorum ſint tacitè hypothecata pro vſuris reſtituendis? Et Gloſſ. *in c. quamquam de vſur. in* 6. *in verb. facultates in fin. & in c. tua nos, de vſur. in verb. cogendi* tenet quod ſic. Sed contrarium tenuerunt quamplures alij. Nauarr. *in Manual. cap.* 27. *num.* 263. *& de reſtitut. lib.* 3. *cap.* 2. Et exallegat. per Ceuall. *in ſuis comm. qu.* 355, conſtat hanc ſententiam eſſe magis communem, & ita eſſe tenendum in iudicando, & conſulendo.

§. *Multiplicibus*

Varijs pœnis puniuntur vſurarij manifeſti. Et manifeſti dicuntur qui publicè exercent vſuras, habentes menſam in foro. Gloſſ. *in c.* 1. *de vſur. in* 6. *in verb. manifeſtos.* Couarruu. *variar. reſolut. lib.* 3. *cap.* 3, Item illi, qui ex inſtrumento apertè conſtat, quod fecerint contractum vſurarium. Item qui confeſſi ſunt ſe eſſe vſurarios. Ceuall. *vbi ſup. d. qu.* 11. *in princ.*

Pri-

Prima pœna eſt, quod fiunt infames. Secunda quod non poteſt illis locari domus. Tertia quòd debent expelli à Ciuitate. Quarta quòd non poſſunt facere teſtamentum, nec etiam Codicillos, niſi cauerint de reſtituendo vſuras. Quinta quòd teneantur edere actori ſcripturas ſuas, contra regulam, quòd reus non teneatur edere actori ad fundandam eius intentionem *l. 1 vbi DD. C. de edend.* Sexta quòd tenentur remittere debitori iuramentum de non repetendis vſuris. Septima quòd nemo poteſt recipere oblationes de eorum manibus. Octaua quòd non admittuntur ad pœnitentiam, nec ad communionem Altaris, niſi ceſſauerint ab vſuris, easque reſtituerint. Nona quòd ſi ſint Clerici, amittunt officium, & beneficium Eccleſiaſticum. Decima quòd ſi impœnitentes deceſſerint, carent Eccleſiaſtica ſepultura.

§. *Nec is tantùm*

Non ſolùm ipſi vſurarij tenentur reſtituere vſuras, verùm etiam filij, & quicumque heredes eorum, etiam extranei; nam tenentur exonerare conſcientiam defuncti, vt notant DD. *in c. vigilanti, de præſcription.*

§. *Iudæi quoquè*

Etiam Iudæi tenentur reſtituere immoderatas vſuras extortas à Chriſtianis. Et Poteſtates ſeculares debent ad hoc ipſos compellere; aliàs ipſi Iudæi excommunicantur eo modo, quo poſſunt, ſcilicet quoad communionem, & commercium cum Chriſtianis *c. poſt miſerabilem, de vſur.* & excommunicantur etiam Chriſtiani cum illis deinceps commercium habentes.

§. *Sunt tamen*

Sunt aliqui caſus, in quibus recipiendo aliquid vltra ſortem non committitur vſura v. g. in Clerico beneficiato, qui non poteſt alio modo recuperare prædium ſui beneficij, niſi det pecuniam mutuam poſſeſſori, & ipſe pignoris cauſa recipiat illud prædium, tunc fructus perceptos facit ſuos, nec tenetur in ſortem mutuatam illos computare, quia ad ipſum Iure pertinent. gloſſ. *in c. 1. de vſur. in verb. beneficium*, quæ ponit alios caſus, vt *ibi* Abb. Sic etiam fauore dotis fructus à marito percepti

non computantur in ſortem, vt dicitur *hic in verſ. Idem ſi poſſeſſiones.*

§. *Ille quoquè*

Si ego pecuniam do tibi, vt certo tempore des mihi frumentum, vel vinum, & veriſimiliter eo tempore poteſt pluris, vel minoris valere, nulla eſt vſura. ſed ſi veriſimiliter eo tempore pluris valeret v.g. ſi de menſe Auguſti mutuo tibi frumentum, vt de menſe Maij tantumdem frumentum mihi reſtituas, erit vſura, cùm veriſimile ſit, quòd de menſe Maij frumentum pluris valeat, quàm de menſe Auguſti.

Sic erit vſurarius qui dat mutuam pecuniam nauiganti, vel ad nundinas eunti, vt aliquid ex conuentione vltra ſortem recipiat, etiam quod periculum in ſe ſuſcipiat *c. fin. & notatur in c. conqueſtus, hoc eod. tit. de vſur.*

De Adulterijs, & alijs illicitis coniunctionibus

TIT. VIII.

ADulterium ſumitur in genere, & in ſpecie. In genere ſignificat quemcumque illicitum concubitum, & ita comprehendit etiam inceſtum, ſtuprum, ſacrilegium, & quid ſimile. Sed in ſpecie adulterium eſt ad alterius torum acceſſus, vt ſi quis ſolutus accedat ad coniugatam, vel coniugatus ad coniugatam, vel coniugatus ad ſolutam, quamuis iſte vltimus caſus in praxi non puniatur. Pœna autem adulterij in lege Moſayca erat pœna naturalis lapidationis, & ita in multis populis ſeruatur. Romæ tamen de hoc crimine non fit inquiſitio, ſed tantùm proceditur per accuſationem, ne familiæ infamentur. De Iure verò Canonico pœna adulterij in Laico eſt excommunicatio, in Clerico depoſitio, vel in vtroque certæ pœnitentiæ impoſitio; eadem quoque, vel etiam Iudicis arbitrio maior, vel minor pœna imponitur, pro inceſtu, ſodomia, vel beſtialitate. Pœnas verò ciuiles non eſt huius loci enumerare, ſed videte eas *in tit. ff. & C. ad l. Iul. de adulter. & ſtupr.*

§. *Quòd ſi quis*

Loquitur hic tex. de ſtupro, quòd committitur cum Vidua

ho-

honeſtè viuente, aut cum Virgine. Et ſi cum Vidua, eſt pœna pecuniaria, ſiue arbitraria, vltra Canonicam pœnitentiam: ſi cum virgine, ſi abſque vi, & conſentientem quis ſtuprauerit, debet illam vxorem ducere; quòd ſi non poſſit hoc facere, tenetur illam dotare ſecundum qualitatem mulieris, & loci conſuetudinem, & hoc vltra pœnam ciuilem corporalem. Quod ſi violator cum poſſet, noluerit illam ducere in vxorem, corporaliter caſtigabitur arbitrio Iudicis, & excommunicatus in Monaſterium detrudetur, perpetuam ibi acturus pœnitentiam, niſi Iudici aliter viſum fuerit *c. 2. hoc eod. tit.*

§. *Maior*

Maior verò eſt pœna raptus, quia maius delictum eſt; nam præter pœnas ciuiles, de quibus *in l. vnic. C. de rapt. virg.* eſt etiam pœna excommunicationis, ſi ſit Laicus, ſi ſit Clericus, depoſitionis. Rapere autem dicitur qui etiam verbis blandis puellam de domo parentum abducit, in quorum poteſtate eſt, vt inquit Marſil. *in d. l. vnic.* Sed ſi raptor velit illam vxorem ducere, debet ſequeſtrari mulier in loco tuto, vbi habeat liberum conſenſum, & ſi velit illum prò marito, purgatur raptus. Si verò propriam ſponſam quis abſtulerit de domo patris, renuentis illam ei tradere, non dicitur raptus, quia habet aliquod ius in ea. Raptus verò Monialis, quia ſacrilegium eſt, & de atrociſſimis, grauius punitur, *vt in can. ſi quis Epiſcopus* 27. *quaeſt.* 1. *can. raptores* 36. *quaeſt.* 2. *& can. ſi quis Sacerdos* 30. *quaeſt.* 1. Nec habetur ratio ad ipſius Monialis voluntatem.

Pro ſimplici verò fornicatione, ideſt cum muliere ſoluta & impudica, tam pœna, quam pœnitentia canonica arbitraria eſt. De Iure vero ciuili nulla pœna imponitur. Bart. *in l. verum ff. de furt. & in l. 3. in princ. ff. de condict. ob turp. cauſ.*

De Crimine Falſi

TIT. IX.

FAlſitas eſt immutatio, ſeù imitatio veritatis. Gloſſ. *in princ. auth. de inſtrum. caut. & fid. in verb. imitatio*. Sic tropicè,

ideſt figuratæ loquutiones, & metaphoræ aliquo modo dicuntur falſitates: ſed permittuntur ad ornatum ſermonis, & ad explicandum magis conceptum noſtrum, cùm non ſermoni res: ſed ſermo eſt rei ſubiectus *c. intelligentia, de verb. ſignific.* Poteſt etiam quis mutare ſibi nomen, ſi non faciat in fraudem alterius vt *l. vnic. C. de mutat. nomin.* Sic etiam licet vti alienis inſignibus, dummodo nullum inferatur alteri præiudicium. Bart. *in tract. de Inſignib. & armis.* Falſitas autem non nocibilis non eſt punibilis; quod intelligitur pœna ordinaria, punitur tamen pœna extraordinaria, ideſt mitiori. Ceuall. *in ſuis commun. contr. comm. quæſt. 19. num.* 5.

Falſitas, de qua in hoc tit. committitur re, verbis, & litteris. Re, vt in falſante monetam *l. qui falſam ff. de falſ.* Verbis, vt in teſte deponente falſum. Litteris, vt in faciente falſum Inſtrumentum. Falſans verò litteras Apoſtolicas, vt dicitur *hic*, excommunicatur, & ſi ſit Clericus, deponitur ab omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico, & degradatus traditur Curiæ ſeculari puniendus. Idem ſeruatur in illis, qui vtuntur ſcienter talibus falſis litteris: iſti tamen non traduntur Curiæ ſeculari.

De Homicidio

TIT. X.

Homicidium eſt hominis occiſio, ideſt corporis animati, etiam quod ſit in vtero matris, & hoc dicitur homicidium corporale. Eſt etiam homicidium ſpirituale, cum quis inducit hominem ad peccatum mortale *can. noli, de pœnit. diſt. 1.*

Inter corporalia autem principale eſt aſſaſſinium, *c. ſicut dignum, eod. tit. & c. 1. eod. tit. in 6.* quod eſt homicidium factum recepta pecunia; & tales ſunt excommunicati, & diffidati à toto Populo Chriſtiano, & de Iure ciuili puniuntur morte naturali tam mandantes, quàm mandatarij, & conſultores, receptatores, defenſores, aſſociantes, & omnes alij participes huius ſceleris.

Secundum eſt homicidium proditorium, quod fit veneno, quod eſt maius, quàm occidere ferro.

Tertium eſt homicidium deliberatum, cum quis animo deliberato, & data opera hominem occidit.

Quartum eſt voluntarium ſimplex, quod fit in rixa.

Quin-

Quintum eſt culpabile, cum quis non adhibet diligentiam neceſſariam, vel non clamat, dum aliquid proijcit, vel cum dat operam rei illicitæ.

Sextum eſt merè caſuale, ſeù fortuitum.

Septimum eſt neceſſarium, quod fit ad ſui neceſſariam defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Octauum eſt iuſtum, quod fit pro Iuſtitiæ exequutione.

§. *Idem etiam*

Pro homicidio merè fortuito nulla pœna imponitur. Sic pro neceſſaria ſui corporis defenſione licet aggreſſorem occidere *l. vt vim ff. de iuſt. & iur. c. ſi perfodiens hoc eod. tit. de homic.* vbi ſi de nocte aliquis perfoderit murum, vt ingrediatur domum alienam, licet ipſum occidere, quia poteſt in ea exiſtentem occidere, nec aliter poterat proclamare, & periculum euitare.

Sed dubitatur numquid pro defenſione bonorum liceat occidere aliquem? Et Felin. negat, & plures alios affert Ceuall. *qu. 349. per totam*. Sed dicit contrariam opinionem eſſe magis communem, & plures Theologos refert. Et demum diſtinguit, aut eſt res modici præiudicij, & non licet, quia cum tunica debemus etiam dimittere pallium: Si verò eſt magni præiudicij; & licet; vndè meritò damnatum eſt ab Innocentio Vndecimo S. M. regulariter occidi poſſe furem pro conſeruatione vnius aurei.

§. *Alia ratio*

Parentes, qui dormientes in lecto filios infantes oppreſſerunt, debent propter culpam pœnitere certorum annorum tempore *c. fin. de his, qui filios occid.* Quòd ſi dubium ſit an fuerint in culpa adhuc pro cauthela debent pœnitere, vt per gloſſ. *hic in verb. grauiter circ. fin.* quia bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non adeſt *c. conſilium de obſeru. ieiun. & can. ad eius verò diſt. 5.*

§. *Quòd ſi filius*

Pater verò, qui filium expoſuit, vel ei alimenta indebitè negauit, amittit ius patriæ poteſtatis, quia negans alimenta necare dicitur *l. necare ff. de liber. agnoſc.* Non tamen qui filium expoſitum ſuſceperit, aliquod ius in illum vendicare poterit. Impe-

diens

diens verò conceptionem, vel abortum procurans punitur, vt homicida: ſecus ſi caſu id fieri contingat.

§. *Nouiſſimè*

Qui ſe ipſum notabiliter lædit, debet puniri, ac ſi alium læſiſſet: imò grauius eſt delictum, quia facit grauiùs contra ordinem charitatis *l. omne delictum §. qui ſe vulnerauit ff. de re militar.* Et propterea qui ſe occiderit, cadauer ipſius ſuſpenditur, non in pœnam quia mortuus non ſentit pœnam, ſed ad infamiam, & terrorem, ac exemplum aliorum; & ita eſt in vſu; & pro his nec oblationes offeruntur, nec debent in Eccleſijs ſepeliri, non aliter atque illi, qui pro ſuis ſceleribus impœnitentes moriuntur. Secus ſi quis non ſanæ mentis, aut graui dolore affectus id fecerit, quia tunc non eſt in ſua poteſtate.

De Iniurijs, & damno dato.

TIT. XI.

INiuria latè accipitur pro omni eo, quod non iure fit; ſtrictè verò accipitur pro contumelia. Et damnum datum accipitur pro eo damno, quod contra Ius infertur; vnde ſi occidi bouem tuum contra me irruentem, nec aliter poteram periculum mortis euadere, non teneor, quia iure feci, aliàs teneor.

Inferens autem iniuriam, & damnum, tenetur damnum paſſo ſatisfacere, & ei intereſſe damni reſtituere. Et venit non ſolùm dolus, ſed etiam culpa, ſeu deſidia, & negligentia. Sic *in c. ſi egreſſus hoc eod. tit. de iniur. & damn. dat.* dicitur, ſi egreſſus ignis in ſegetes alienas illas combuſſerit, qui poſuit ignem, tenetur de damno dato. Et gloſſ. *ibi in verb. reddet* dicit quòd hoc eſt verum, ſi fuit in culpa: ſecus ſi nihil de contingentibus omiſerit v. g. ſi præmonuerit vicinos, & tempore debito ignem appoſuit &c. quia tunc ad nihil teneretur *c. fin. §. ſanè, eod. tit.*

§. *Quòd ſi animalia*

Si animalia tua dederint damnum alicui, & ſint non feræ, deden-

dendo ipſa pro noxa illi, qui damnum paſſus es, liberaris. Si verò ſint feræ, & comiſiſti culpam, quia non rectè cuſtodiſti ea, vel quia tenuiſti ea parte, qua vulgo iter fit, teneris de damno dato, quod damnum vocatur pauperies, vt in Ciuilib. Inſtitut. *tit. ſi quadrup. pauper. feciſſ. dicat.* ſi verò nihil de contingentibus omiſiſti, non teneris, *vt in d. §. ſanè*.

§. *Inferuntur autem*

Iniuria committitur vel re, ideſt ipſo facto, vt vulnerando: vel verbis, vt verbum contumelioſum contra aliquem proferendo: vel litteris, vt conficiendo libellum famoſum, aut carmen, vel quid ſimile ad infamiam alterius. Comprehenduntur etiam memorialia, & vt vulgo dicitur, *lettere di auuiſi ſecreti*. Pius Quintus S. M. *conſtit.* 147. & Gregorius Decimustertius *conſtit.* 4. in quibus confirmantur omnes pœnæ legales, imponendo pœnam triremium, confiſcationis omnium bonorum, & etiam vltimi ſupplicij prò qualitate delicti, & includuntur etiam illi, qui ſcribunt, promulgant, tranſmittunt, & ſimiles, quia debent ſtatim lacerare, vel comburere, vel ad Vrbis Gubernatorem deferre.

De Eccleſiaſticis Cenſuris.

TIT. XII.

Dictum eſt de delictis, & eorum pœnis ſpecialibus. Verùm quia Ius Canonicum vtitur quibuſdam alijs pœnis, quæ dicuntur cenſuræ, quæ etiam animam concernunt, ideo vltimo loco ponitur de his.

Eccleſiaſticæ cenſuræ ſunt tres, Excommunicatio, Interdictum, & Suſpenſio. Illi verò, qui ſe obligant in forma Cameræ Apoſtolicæ, ſe ſupponunt his pœnis; & hinc eſt, quòd ſi non ſoluant, publicantur cedulones excommunicationis.

Excommunicatio dicta eſt ex eo quòd ſit extra communionem poſitio: & communio duplex eſt, alia fidelium, alia Sacramentorum.

Interdictum, quod dicitur à clauibus, ideſt à poteſtate Eccleſiæ, & appellatur Eccleſiaſticum ad diſtinctionem Interdicti

Ci-

Ciuilis, de quo diximus in Inſt. Ciu. *tit. de Interdict.* eſt à certis Sacramentis, & diuinis officijs, & ſepultura Eccleſiaſtica facta prohibitio.

Suſpenſio eſt inhabilitas quædam Ordinum, vel officiorum executionem ad tempus impediens.

Inter iſtas autem cenſuras maior eſt excommunicatio, quæ dicitur mucro, & gladius ſpiritualis; vndè excommunicati dicuntur mortui ſpiritualiter *c. 1. vbi Abb. de furt.* & grauior eſt pœna excommunicationis, quàm mortis naturalis, quia excommunicatio occidit animam, quæ eſt longè nobilior corpore. Et Eccleſia introduxit illam, quia ipſa non ingerit pœnam ſanguinis *c. ſententiam ſanguinis, ne Cleric. vel Monach.*

Quoniam verò eſſet valdè implicatum de omnibus iſtis cenſuris inſimul pertractare, ideo de ſingulis diſtinctè agendum eſt, ac primò

De ſententia excommunicationis.

TIT. XIII.

EXcommunicatio duplex eſt, maior, & minor,

Maior eſt excluſio à participatione Sacramentorum, & communione fidelium, & alio nomine dicitur anathema, & ipſe etiam excommunicatus dicitur anathema, quia eſt ſeparatus; iſta enim vox, vt inquit Nauarr. in Comment. ad extrau. Gregorij Decimitertij *de dat. & promiſſ. pro grat. & iuſt.* ſignificat ſeparationem, quia ſicut talia dicebantur ſpolia inimicorum, quæ ſuſpendebantur in Templis, tanquam ſeparata ab hominum commercio: ita etiam homines, qui ſunt ſeparati à commercio aliorum hominum, dicuntur, anathema. Et non fuit incognita hæc pœna gentibus, quia Græci, & Galli ſimili pœna vtebantur. Et apud Romanos erat interdictio aquæ, & igne, ideſt omnimoda excluſio à commercio hominum, vt refert Tiraquell. *in tract. de retract. conſanguin. §. 1. gloſſ. 9. num. 276. cum plurib. ſeqq.* & Abb: *in c. cum non ab homine, de Iudic. num. 23.* vbi ponit differentiam inter excommunicationem, & anathema.

Minor excommunicatio eſt, quæ excludit à participatione Sacramentorum tantùm, non etiam à communione fidelium. Sed in contrarium videtur facere tex. in *can. Engeltrudam, 3. qu. 4.*

vbi

vbi habetur, quod minor excommunicatio excludit à communione Fidelium. Reſpondetur tamen quòd ibi non intelligitur de communione vniuerſali: ſed ſolùm quia qui excluditur à participatione Sacramentorum, non habet communionem cum fratribus in illis Sacramentis, à quibus eſt excluſus.

Item excommunicationes aliæ dicuntur latæ ſententiæ, ſeu Canonis: aliæ ferendæ ſententiæ, ſeù Iudicis. Canonis, ſeù latæ ſententiæ eſt, quæ incurritur eo ipſo abſque Iudicis miniſterio, cùm iam à Canonibus ſit decreta. Iudicis verò, ſeù ferendæ ſententiæ eſt, quæ non incurritur, niſi præcedente Iudicis declaratione. Exempla ponuntur *in c. eos, hoc eod. tit. in 6. & ibi per gloſſ. in verb. Canonis.* Hoſtienſ. *in ſumm. eod. tit. §. quis poſſit.*

§. *Si quis igitur*

In Canonis ſententiam incidit qui violentas manus in Clericum inijcit, etiam in prima tonſura exiſtentem. Item in Regularem, & Monachum vel Profeſſum, vel Nouitium, vel Conuerſum, licet non ſit Clericus, quia ſufficit quod ſit Perſona Eccleſiaſtica, vt notatur *in can. ſi quis ſuadente 17. quæſt. 4.* etiam ſi qui percutit ſit Eccleſiaſtica Perſona, niſi faciat hoc canonica auctoritate. Et dum dicitur, Nouitium, non poteſt quis ſe excuſare dicendo, quod cras erit ſecularis dimittendo habitum. Et idem dicitur de Monialibus, & Nouitijs earum, vt notatur *in c. Monachi eod. tit.* Et iſti ſic excommunicati non poſſunt abſolui, niſi à Papa, vel à Legato de latere, ſeù ab habente à Papa poteſtatem. Sed Monachi ad inuicem ſe percutientes, abſoluuntur ab Abbate, ne habeant occaſionem euagandi, vt veniant Romam pro abſolutione. Et quod dicitur, manus violentas, idem dicitur de quacumque alia iniuria perſonali, vt ſi lutum in eum iniecerit, vel in ipſum conſpuerit ad iniuriam &c. Gloſſ. *hic in verb. manus.*

§. *Sed & ſi manus*

In eamdem pœnam excommunicationis incidit qui mandauit, vel fauorem, vel auxilium præſtitit ad percutiendum, vel ratum habuit, ſi tamen eius nomine fuerit geſtum, vt ab eius famulo

vel ab alio *c. cum quis, eod. tit. in 6. & c. ratihabitionem, de reg. iur. in 6.* Secus ſi eius nomine non fuerit geſtum, ſed ſolùm ſibi placuerit tale factum, quia, tunc non incidit in excommunicationem, quamuis grauiſſimè peccet, vt per gloſſ. *hic in verb. ratum habuerit, & in d. c. cum quis.*

§. *Interdum etiam*

Retinens Clericum per vim, aut in vinculis, aut in carceribus priuatis, aut alio modo eius libertatem impediens incidit in excommunicationem latæ ſententiæ, licet corpori violentas manus non iniecerit. Quod eſt verum, niſi de voluntate Superiorum ipſius Clerici id fecerit, quia tunc non ipſe facere dicitur, ſed illi, cum omnia noſtra faciamus per eos, quibus auctoritatem impartimur *l. 2. C. de veter. Iur. enucl.*

Abbas verò ſi imperet Laico, vt Monachum verberet, etiam ex cauſa diſciplinæ, vterque incidit in excommunicationem. Et non obſtat tex. *in l. velle non creditur ff. de reg. iur.* vbi dicitur, velle non creditur, qui imperio Magiſtratus, vel Domini obtemperat. Quia Reſpondetur, quod ille textus loquitur de rebus licitis: ſecus in caſu noſtro, quia debemus magis obtemperare Deo, quàm Domino, etiam ſupremo per Iura, quæ adducit Gloſſ. *hic in §. quod autem, in verb. ſeruitio.* Itaquè debet eſſe Monachus, qui mandato Epiſcopi, vel Abbatis corrigat alium Monachum, vel ipſe met Abbas, dummodo non excedat debitam correctionem, quia excedendo incurreret in excommunicationem *c. cum voluntate §. 2. hoc eod. tit.*

Clericus autem ſe ſe voluntariè ſubijciens percutienti eſt excommunicatus ſimul cum ipſo percutiente, quia licet volenti, & conſentienti non fiat iniuria, & quilibet poſſit renunciare fauori ſuo *l. ſi quis conſcribendo C. de pact.* tamen non poteſt tali priuilegio Clericus renunciare, cum ſit fauor conceſſus non tam perſonæ, quàm vniuerſo Ordini Clericali argum. tex. *in c. ſignificaſti, de for. compet. & c. cum non ab homine, de Iudic.* Propter quam rationem incidit in excommunicationem quoque ipſe percutiens, nec conſuetudo excuſat tanquam praua in hac re ad tex. *in c. fin. de conſuetud.*

§. *Ex*

§. Ex contrario.

Ponit textus tres caſus, in quibus citrà pœnam excommunicationis poteſt percuti Clericus.

Primus eſt, cum percutiens facit ad ſui neceſſariam defenſionem, non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ ad tex. *in l. vt vim ff. de iuſt. & iur. c. ſi verò il 1 in princ. & ibi gloſſ. in verb. vim vi, hoc eod. tit.*

Secundus eſt, quando inuenit Clericum turpiter agentem cum vxore, vel filia, vel matre, vel ſorore. Quid verò in alijs aſcendentibus, vel deſcendentibus? Videte gloſs. *in d. c. ſi verò in princ. in verb. matre.*

Tertius eſt quando probabiliter ignorabat eſse Clericum, vt quia non incedebat in habitu, & tonſura. Sed quid ſi percutiens ſciebat eum eſse Clericum, qui non incedebat in habitu, & tonſura? & dicitur incidere in excommunicationem, quia licet non incedens in habitu & tonſura in minoribus exiſtens amittat priuilegium fori, non tamen amittit priuilegium canonis. Sed quid ſi percutiatur Laicus incedens in habitu, & tonſura ab eo, qui credebat eum eſse Clericum? Et percutiens non eſt excommunicatus, quia nemo ex ſua opinione poteſt incidere in excommunicationem, licet incidat in peccatum, vt inquit gloſs. *hic in verb. probabiliter.*

Eſt etiam alius caſus, quando Clericus dimiſso habitu Clericali in ſceleribus depræhenſus fuerit occiſus, quia occiſor non incidit in excommunicationem, vt ſi erat craſsator v.g. Eccleſia enim non fouet iſtos improbos homines.

Sic etiam qui ratione officij, vel intuitu diſciplinæ Clericum percuſserit, non eſt excommunicatus, non excedendo debitum modum correctionis. Et ſunt alij plures caſus, de quibus per Hoſtienſ. *in ſumm. hoc eod. tit. §. quis poſſit excommunicare.*

§. Quod autem ſupra

Quod dictum eſt ſupra in §. ſi quis igitur, ſcilicet quod taliter excommunicati non poſsunt abſolui præter quàm à Romano Pontifice, vel à Legato de latere, non ſemper habet locum; Nam

ſi talis excommunicatus eſset conſtitutus in mortis articulo, vel capitales inimicitias haberet, vel propter alias iuſtas cauſas non poſset ſe tranferre ad ſedem Apoſtolicam, poterit in his caſibus Diœceſanus illum abſoluere, recepto iuramento, quod quamcitiùs poterit, conſpectui Apoſtolico ſe præſentabit, mandatum ſuper tali exceſſu recepturus; quod ſi non præſtiterit, ipſo iure in eandem excommunicationis ſententiam reincidit.

§. *Item ſi non enormis*

Si iniuria illata Clerico non ſit enormis, ſed leuis, & modica, abſoluit Ordinarius *c. peruenit hoc eod. tit.* Item & ſi ſit grauis, ſed intra fines ludi, vel extra, modò non ſit doloſa, quia iſta non eſt ſuadente Diabolo; vnde non habet locum diſpoſitio Canonis. Et leuis dicitur, vt ſi pugno, palma, manu, pede, digito, aut etiam lapide quis percutiatur, dummodo nulla macula, vel ſuggillatio relinquatur. Nauarr. *in Manual. cap. 27. ſub. num. 91.*

§. *His autem*

Abſolutio ab excommunicatione poteſt ex cauſa in certis caſibus delegari, vt propter abſentiam Ordinarij, vel quia non poſſit excommunicatus accedere ad Iudicem Ordinarium, vel ad Papam.

§. *Iudicis*

Excommunicatio Iudicis, ſiue hominis, quæ dicitur ferendæ ſententiæ eſt, quæ Iudicis miniſterio infertur, ſiue ſit Iudex Ordinarius, ſiue Epiſcopus, ſiue Delegatus Papæ; Nam licet Papa committens cauſam non exprimat, ſe dare facultatem excommunicandi, nihilominus poteſt Delegatus excommunicare v. g. impedientes exequi ſuam Iuriſdictionem *vt in c. 1. de offic. deleg.* Et ratio eſt, quia vno conceſſo intelliguntur conceſſa omnia, ſine quibus illius executio haberi non poteſt. Sic cui conceditur Iuriſdictio, intelligitur etiam conceſſa facultas modicè cohercendi *l. cui Iuriſdictio ff. de Iuriſd. omn. Iudic.*

Iu-

Iudex autem debet ferre ſententiam excommunicationis præcedente monitione in ſcriptis, & debet continere cauſam, quæ ſit iuſta. Sed ſi cauſa non ſit iuſta, quamuis quoad Deum non ſit excommunicatus, imò patienter tolerans acquirit meritum: tamen in foro exteriori debet haberi pro excommunicato, & euitari, donec abſoluatur. Abb. *in rubr. de ſent. excomm. & gloſſ. hic.* Debet autem præcedere triplex munitio, nec valet obligatio, vt quis poſſit excommunicari ſine monitione. Hoſtienſ. & Abb. *in c. P. & G. de offic. delegat.* Sunt etiam alia ſeruanda in ferenda ſententia excommunicationis, quæ enumerantur *in c. 1. hoc eod. tit. in 6.* Iudex verò aliquem excommunicans non expreſſo de qua excommunicatione intelligat, in dubio intelligitur de maiori, & ſic de anathemate *c. penult. hoc eod. tit.* Et rationem dicerem eſſe, quia cum excommunicatio non ſolùm ſit pœna delinquentis, ſed etiam medicina ad reſurgendum à delicto, quo potentior eſt medicina, eò facilius operatur effectum ſuum.

§. *Quorum*

Communicans cum excommunicato in delicto, incidit in excommunicationem maiorem: qui verò communicat in alloquendo, comedendo, ludendo, & ſimili modo, incidit ſolùm in minorem. Sic qui communicat in diuinis officijs, niſi tamen faceret in contemptum clauium Eccleſiæ.

Actor verò ſi ſit excommunicatus maiori excommunicatione, & reus communicauerit cum eo in alloquendo, comedendo &c. & deinde reus opponat contra actorem, quod agere non poſſit, quia eſt excommunicatus, & actor replicat quòd ipſe quoque eſt excommunicatus, quia communicauit cum ſe ipſo, tamen huiuſmodi replicatio non obſtat quò minus poſſit reus repellere actorem ab agendo, quia actor eſt excommunicatus maiori excommunicatione, & reus minori; maior enim excludit non ſolùm à participatione Sacramentorum, verùm etiam à communione fidelium: minor verò ſolùm à participatione Sacramentorum *c. à nobis de except.*

§. *Nec ideò*

Non poſſumus communicare cum excommunicato antequam fuerit abſolutus, nec prodeſt quòd ille dederit cautionem iuratoriam de parendo mandatis Eccleſiæ, quia requiritur omninò abſolutio; & ſi talis moriatur, nec eſt in Eccleſia ſepeliendus, quia cum quo non communicamus viuo, nec etiam mortuo communicare debemus. Sed ſi talis ante mortem oſtenderit ſigna pœnitentiæ, poterit abſolui poſt mortem, & in Eccleſia ſepeliri, & heredes compelli debent, vt ſatisfaciant pro illo, etiam quòd ad eos nihil peruenerit, vt per gloſſ. *hic in verb. impendendum*, & per gloſſ. *in c. vlt. de ſepultur. in verb. ſed eius heredes*.

§. *Sed & ſi*

Si quis ſit diffamatus de excommunicatione v. g. quòd manus in Clericum iniecerit, debet ſe purgare ab huiuſmodi infamia, & interim debet euitari. Sed ſi fuerit toleratus ab Eccleſia, non poterit in publico euitari; ille tamen, qui ſcit eum inieciſſe manus in Clericum, & per hoc eſſe excommunicatum, in ſecreto debet ipſum euitare.

§. *Quòd ſi ex locutione*

Iam dictum eſt ſupra *in §. quorum*, quòd communicans cum excommunicato in crimine, incidit in eamdem excommunicationem maiorem: in locutione verò, & ſimilibus incidit in minorem, dummodo non fiat in contemptum. Modò in hoc tex. dicitur, quòd ſi iſte indureſcat in excommunicatione minori, creſcente contumacia poterit excommunicari in maiori.

Sciendum autem eſt, quòd communicans cum excommunicato in locutione, & ſimilibus, peccat ſolùm venialiter, dummodò non fiat in contemptum. Eſt communis opinio, vt teſtatur Io: Andr. *in c. ſacris, de his, quæ vi, metuſue cauſ. fiunt*.

Li-

Limitatur primo ſi communicet in Sacramentis, vel diuinis officijs. Secundo ſi nimis frequentet locutionem. Tertio ſi faciat in contemptum. Quarto ſi faciat contra ſpeciale mandatum Iudicis. Quinto ſi eſſet excommunicatus à Papa cum participibus. Sexto communicans in peccato mortali. Nauarr. *in Manual. de excomm. min.* Et declarat, quòd quando aliquis eſt excommunicandus, aut interdicendus, aut ſuſpendendus, debet præcedere canonica monitio, quæ fit cum competentibus interuallis, & alijs requiſitis, *vt in c. ſacro hoc eod. tit.*

§. *Interdum*

Communicans ignoranter cum excommunicato in nullam incidit excommunicationem. Sunt etiam plures, qui non incidunt, quod declaratur hoc carmine

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.

Vtile, vt ſi communicet quis ad vtilitatem excommunicati v. g. prædicando, vel admonendo, vt reſipiſcat, etiam ſi immiſceat alia verba *c. cum volente eod. tit.*

Lex, vt coniux, quæ per legem debet habere commercium, ideſt indiuiduam vitam cum coniuge.

Humile, vt ſunt filijſfamilias, ſerui vrbani, & ruſtici, qui ante excommunicationem erant ei ſubiecti *c. inter alia, & c. ſi verè, eod. tit.*

Res ignorata, quia ignoret quis aliquem eſſe excommunicatum, niſi ſit ignorantia craſſa, & ſupina *c. Apoſtolica, de Cleric. excomm.*

Neceſſe, vt quia communicet quis propter magnam neceſſitatem, vel propriam, vel excommunicati, vel alterius, qui indigeret.

§. *Sed an inuitus*

Dicitur in textu, quòd communicans cum excommunicatis coactus non incidit in excommunicationem: ſed metus non excuſat: hìc autem intelligitur coactio, ſi quis trahatur per vim ad Eccleſiam, & ibi detineatur, vt interſit diuinis ſimul cum excommunicatis: metus verò eſt, quando aliquis mina-

natur mortem, niſi communicet cum excommunicatis. Et ratio differentiæ eſt, quia debemus pati omne malum, etiam mortem, potius quàm peccare.

Si verò quis dubitet, an ſit excòmmunicatus, poteſt petere abſolutionem ad cauthelam, & in abſolutione debet exprimi, quòd datur ad cauthelam, quæ non eſt danda niſi petenti, vt per gloſſ. *hìc in verb. poſtulare*.

§. *Sed hoc caſu*

Abſolutio non debet peti à Superiore Ordinarij: ſed ab ipſo Ordinario, & ſic non omiſſo medio. Vnde ſi Archidiaconus Epiſcopi excommunicauerit aliquem, excommunicatus non debet petere abſolutionem ab Archiepiſcopo, ſed ab Epiſcopo, quia regulariter Archiepiſcopus non habet Iuriſdictionem in ſubditos ſui Suffraganei; niſi in ſubſidium.

§. *Epiſcopali*

Sede vacante Epiſcopi ille abſoluit, ad quem Iuriſdictioq; Epiſcopalis tunc temporis pertinet, niſi ei fuerit ab Apoſtolica Sede interdicta poteſtas, vt ſi Papa expediuerit Vicarium Apoſtolicum. Et Sedes vacans dicitur, ſiuè ſit mortuus Epiſcopus, ſiue per renunciationem, vel translationem, vel depoſitionem illius. Et quaſi vacans, dicitur, ſi Epiſcopus ſit captus à Paganis *c. ſi Epiſcopus de ſuppl. neglig. Prælat. in 6. & ibi gloſſ. in verb. ſed Capitulum, & in verb. mortem*.

§. *Vbi verò*

Si excommunicatus appellauerit ad Metropolitanum, qui viderit iuſtam eſſe cauſam, debet excommunicatum remittere ad Epiſcopum, qui illum excommunicauit, vt ei ſatisfaciat: Si verò cognouerit cauſam eſſe iniuſtam, debet illum abſoluere. Si verò dubitet an, ſit iuſta, nec ne, poterit illum abſoluere, ſed melius faciet, ſi illum remittat ad ſuum excommunicatorem. Vbi autem manifeſtum eſt delictum, non conce-

di-

ditur abſolutio , niſi præuia cautione de ſatisfaciendo mandatis Eccleſiæ. Si verò delictum non ſit manifeſtum, propter quod petit excommunicatus abſolui, vel ſi eſſet excommunicatus in contumacia, præſtita cautione de ſtando Iuri, debet abſolui.

§. *Multum etiam*

Si reus condemnatus appellauit ad Papam, & iter arripuit ad Sedem Apoſtolicam, dicatque ſe fuiſſe excommunicatum poſt appellationem, Iudex debet prius probare ſe ante appellationem illum excommunicaſſe, quia poſt appellationem excommunicatio tanquam attentata eſt protinus reuocanda. Sed ſi excommunicatus dicat ſe iniuſtè excommunicatum, tunc debet prius abſolui, & deinde cognoſcitur de iuſtitia excommunicationis;

§. *Quod ſi quis*

Ille, qui eſt pluribus excommunicationibus innodatus, non poteſt ab vna abſolui, niſi ab omnibus abſoluatur. Et ſi Ordinarius cognouerit abſolutum à Papa obtinuiſse abſolutionem, vel per ſubreptionem, ideſt expreſs falſitate: vel per obreptionem, ideſt non expreſsa veritate, tunc debet remittere eumdem ad ipſum Papam cum litteris ſignificantibus veritatem cauſæ excommunicationis, vt Papa cognoſcat, an velit ipſum abſolutum. Si verò dubitet an veritatem expreſſerit, tunc debet cogere illum ad ſe purgandum de illa ſuſpicione; quod eſt verum, ſi de hoc publica laboret infamia ad tex. *in c. Moniales de purgat. canonic.* Quòd ſi ſe non purgauerit, debet ipſum abſolutum remittere ad abſoluentem. Qui verò abſolutionem vi, vel metu extorſerit, nulla erit abſolutio, & extorquens duplici excommunicatione erit innodatus.

§. *Nouiſſimè*

Dicit textus, quòd ſi Papa communicauerit cum excommuni-

nicato ſcienter, non per hoc dicitur illum abſoluiſse, niſi expreſsè hoc dixerit. Nec obſtat tex. *in l. ſi tamen ff. de ædilit. edict.* vbi plus operatur facti, quàm verborum expreſſio. Sic ibi dicitur, qui ligatum ſeruum vendidit, plus fecit, quàm ſi expreſſiſset illum eſse fugitiuum; vnde non tenetur actione redhibitoria. Reſpondetur enim eſse diſparitatem caſus: ille enim actus ligaminis neceſsariò arguebat ſeruum illum eſse fugitiuum: non ita in collocutione, quam facit Papa cum excommunicato, quia ex illa non poſsunt alij cum eo communicare, cum ex illa non inferatur neceſsariò fuiſse abſolutum à Papa, niſi hoc Papa expreſsè diceret.

De Eccleſiaſtico Interdicto.

TIT. XIV.

INterdictum Eccleſiaſticum, quod eſt ſecunda ſpecies cenſurarum, dictum eſt à prohibendo, quia eſt diuinorum officiorum, & certorum Sacramentorum facta prohibitio, vt ſupra diximus. Conuenit autem cum excommunicatione in multis. Primo quia ſicut excommunicatio alia eſt Iuris, ſeù Canonis: alia hominis, ſeù Iudicis: ita etiam interdictum. Præterea ſicuti ſententia excommunicationis debet ferri in ſcriptis: ita etiam ſententia interdicti. Et ſunt aliæ plures conuenientiæ, quas ponit Nauarr. *in ſuo Manual. tit. quid ſit Interdictum*.

Differunt etiam in multis, quia excommunicatio excludit à participatione omnium Sacramentorum: ſed Interdictum ſolùm à certis Sacramentis, neceſsaria enim ad ſalutem non prohibentur. Item Vniuerſitas, ſeù Clerus, ſeù Populus excommunicari non poteſt, quia ſolent inter iſtos eſse innocentes: interdici verò poteſt. Item in excommunicatione non intelligitur abſolutus excommunicatus, niſi conſtet de abſolutione: ſed in interdicto ceſſante cauſa Interdicti ceſſat interdictum. Et ſunt etiam aliæ differentiæ, de quibus idem Nauarr. *vbi ſupr.*

Interdictum, vt diximus aliud eſt canonis, quod ipſo Iure infertur. Aliud eſt hominis, ſeù Iudicis, quod per ſententiam irrogatur.

Canonis eſt, ſi Ciuitas, vel Vniuerſitas non ſeruauerit ſeruanda

da in electione Summi Pontificis, prout diſponitur *in c. vbi periculum §. præterea, de elect. in 6.* Aut ſi necem Cardinalis machinata fuerit *c. fin. in fin. de pœn. in 6.* Aut ſi locauerit domus vſurarijs manifeſtis *c. 1. §. qui verò, de vſur. in 6.* Ita etiam ipſo Iure Eccleſia eſt interdicta; ſi fuerit ſimoniacè conſecrata, aut polluta effuſione ſanguinis humani per delictum, aut ſeminis humani per delictum *c. vnic. de conſecrat. Eccleſ. vel Altar. in 6.* Et aliqui volunt etiam ſine delicto, vt ſi maritus cognouerit vxorem ſuam in Eccleſia, vt gloſſ. *ibi in verb. ſeminis*, quamuis hoc quoque poſſit dici delictum ratione loci, ob irreuerentiam præſtitam loco ſacro, vt eadem gloſſ. aduertit.

Si quis autem violauerit interdictum inductum ratione pollutionis, vel ratione ſimoniacæ conſecrationis, non per hoc incidit in irregularitatem: ſicut fit irregularis qui ſcienter violat interdictum ex alijs capitibus inductum; quo caſu non poteſt abſolui, niſi à Papa.

Interdictum hominis, ſeù Iudicis tunc inducitur, cùm competens Iudex per ſententiam ex aliqua cauſa Terram, vel homines à diuinis arcendos pronunciat, & præcipit.

§. *Rurſus*

Interdictum Iudicis aliud eſt generale, aliud ſpeciale.

Generale eſt, vt quando interdicitur Prouincia, vel Ciuitas, vel Caſtrum; nam tunc etiam ſuburbia, & continentia ædificia ſunt ſubiecta interdicto, quia connexorum idem eſt Iudicium *c. translato, de conſtitut. l. quæ religioſis ff. de rei vendic.* Et etiam quia ſi poſſet celebrari in ſuburbijs, & Eccleſijs vicinis, faciliter poſſet eludi Interdictum.

Speciale eſt, ſi inter plures Eccleſias vna. vel duæ fuerint interdictæ: & tunc neque poteſt celebrari in Cappellis, ſeù Oratorijs contiguis, neque in Cœmeterijs eiuſdem Eccleſiæ ſepeliri, licet ſint extra Eccleſiam, ne ſimiliter eludatur Interdictum.

§. *At non ſicuti*

Interdictum autem aliud eſt locale, aliud perſonale. Locale eſt, quando interdicitur locus, nempe Eccleſia, Caſtrum, Ci-

nitas, &c. Perſonale, vt quando interdicitur Populus alicuius loci, vel Vniuerſitas, vel Clerus &c. Sed intereſt, quia ſi eſt interdictum locale, ſit lata interpretatio, ne aliàs interdictum ſit eluſorium, vt ſupra dictum eſt. Si verò eſt perſonale, ſit ſtricta interpretatio; & ſic ſi ſit interdictus Populus, non intelligitur interdictus Clerus, cum Clerici habeant quamdam qualitatem, ob quam eximuntur à popularibus *c. fin. vbi gloſſ. dr Cleric. venat* Et ſimiliter interdicto Clero, non intelligitur interdictus Populus. Quando autem eſt interdicta perſona, & non locus, poterit ibi forenſis exercere diuina: ſi verò locus eſt interdictus, nec forenſis ibi diuina exercere poterit, *vt per gloſſ. hìc*. Quamuis autem pro delicto vnius alius excommunicari non poſſit, poterit tamen interdici familia, aut Populus pro delicto vnius. Et ratio eſt quia excommunicatio afficit animam, & priuat participatione omnium Sacramentorum, & eſt pœna grauiſſima; non ita interdictum, quia interdictus participat de Sacramentis ad ſalutem neceſſarijs, vt diximus.

§. *Item cum loci*

Interdicta Vniuerſitate ſinguli de Vniuerſitate intelliguntur interdicti, quia Ius Canonicum non conſiderat formas metaphiſicas, ſicut interdum conſiderat Ius Ciuile, *vt in l. proponebatur ff. de Iudic.* vbi conſiderat Populum tanquam ſeparatum quid à Ciuibus in abſtracto: ſed conſiderat ſolum res phyſicè, quia conſiderat veritatem, & realitatem.

§. *Excepti*

Tempore interdicti poteſt quis baptizari, chriſmari, & confiteri peccata ſua, & ſi ſit infirmus, poterit recipere Sacramentum Euchariſtiæ, *vt per gloſſ. hìc*. Poterit etiam confici chriſma. Item poterit haberi Euangelica concio, quia tendit ad conuerſionem. Item ſi eſt miniſtrandum Sacramentum Euchariſtiæ infirmo, poterit miſſa celebrari clauſis ianuis pro conficiendo Sacramento; & ſi neceſſitas vrgeat, poterunt etiam plures miſſæ celebrari. Item in magnis feſtiuitatibus poſſunt teneri ianuæ apertæ, & publicè officia celebrari pulſatis campanis, & admiſſis in-

interdictis, non tamen excommunicatis. Sed non poterit quis tempore interdicti extremam vnctionem recipere, nec in Eccleſia ſepeliri, niſi impetrata licentia à Papa in Signatura Gratiæ, qui reſcribit, *ſine pompa funebri, & non pulſatis campanis*. De quibus omnibus eſt Conſtitutio Bonifacij Octaui *in c. fin. de ſent. excomm. in 6.*

Violantes autem interdictum, vt celebrantes in Eccleſia interdicta, vel ſepeliendo interdictos &c. ſententiæ excommunicationis ſubijcientur, à qua non poterunt niſi per Papam abſolui.

§. *Nec aliquid*

Non poſſunt autem violantes interdictum ſe excuſare dicendo, quod fuerit appellatum, quia Interdictum eſt omninò obſeruandum. Et ſic colligitur, quòd in ſpiritualibus quoad animam appellatio non afficit, licet in temporalibus afficiat.

De Suſpenſione

TIT. XV. & Vlt.

SVſpenſio, quæ eſt tertia cenſura Eccleſiaſtica, eſt inhabilitas quædam ad exercendos ordines, & officia Eccleſiaſtica; & propterea nullos, præterquam ipſos Clericos attingere poteſt. Strictè autem loquendo, peccatum mortale non eſt ſuſpenſio. Primo quia ſuſpenſio eſt pœna peccati. Secundo quia peccatum eſt antiquius canonibus. Tertio quia peccatum non eſt cenſura. Nauarr, *in ſuo Manual. cap. 27. ſub num. 131.*

Suſpenſio quoque alia dicitur Iuris, ſeù canonis, quæ ipſo Iure incurritur, & propter quodlibet peccatum mortale quis eſt ſuſpenſus; quod intelligitur quoad ſe, non quoad alios, quia miniſtrando conficit Sacramentum. Alia eſt Iudicis, ſeù hominis, cùm fertur ſententia in ſcriptis præcedente monitione, vt dictum eſt de excommunicatione.

§. Ca-

§. *Cauebunt*

Clerici violantes ſuſpenſionem, hoc eſt ingerentes ſe diuinis durante ſuſpenſione, incidunt in irregularitem, quod intelligitur, ſi ſcienter hoc faciant: ſecus ſi ignoranter *c. Apoſtolica*, vbi Abb. *de Cleric. excomm.* à qua irregularitate aliquando non poteſt abſoluere, nisi Papa. Vnde regulariter Ordinarij poſſunt abſoluere. Ita Maiol. *de irregular. lib. 3. cap. 19. num. 25.*

Irregularitas verò eſt Canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proueniens, quo quis tam ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, quàm promotus in ijſdem miniſtrare prohibetur. Et rectè dicitur, ex facto, vel ex defectu, quoniam ex facto intelligitur ex delicto, vel violando ſuſpenſionem, vt *hìc* Item ex defectu, vt ex defectu ſcientiæ. ex defectu alicuius membri, ex defectu Sacramenti, vt in bigamo &c. de quibus omnibus dictum eſt *ſupr. in 1. lib. in tit. qui promou. non poſſ.*

§. *Fin.*

Epiſcopi, & Superiores non incurrunt ſententiam interdicti, vel ſuſpenſionis ipſo facto, nisi fiat de ipſis expreſſa mentio; eſſet enim hoc valdè periculoſum, cum frequentiſſimè accidat Epiſcopos, & Superiores officia ſua exequi debere, vt habetur *in c. quia periculoſum, de ſent. excomm. in 6.*

Atque hæc pro Inſtitutionum Iuris Canonici Breuiario dicta ſint ſatis, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei.

FINIS.

INſtitutiones Iuris Canonici, viri clariſſimi IOSEPHI CARPANI, Iuris vtriuſq; in Academia Romana Profeſſoris emeriti, ex commiſſione Reuerendiſſimi P. F. Thomæ Mariæ Ferrari Sacri Apoſtolici alatij Magiſtri volupe legi. In eis vbique comperij itorem purum, doctrinam ſanam, fidem rectam; ilim dictionis, iſtam rerum, hanc Auctoris. Ideoque las cenſeo non tantùm typis, ſed etiam cedro dignas. ac die 22. Auguſti 1691.

Iacobus Pignatellus, Paſtor apud S. Mariam Monticellanam Vrbis, & S. Theologiæ ac I.V. Doctor.

Imprimatur
videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

Steph. Ioſeph Menattus Ep. Cyren. Viceſg.

Imprimatur.
. Thomas Maria Ferrari Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter, Ord. Præd.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by [illegible]